QUOS CICERO IN LIBRO I ET II DE RE PUBLICA AUCTORES SECUTUS ESSE VIDEATUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE WIRCEBURGENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ROBERT JULIUS SCHUBERT

ISEBERGENSIS.

LIPSIAE

TYPIS ACKERMANNI ET GLASERI

MDCCCLXXXIII.

QUOS CICERO IN LIBRO I ET II DE RE PUBLICA AUCTORES SECUTUS ESSE VIDEATUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE WIRCEBURGENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ROBERT JULIUS SCHUBERT

ISEBERGENSIS.

LIPSIAE

TYPIS ACKERMANNI ET GLASERI

MDCCCLXXXIII.

De auctoribus quos in conscribendis de re publica libris Cicero secutus sit simulque de ratione, qua fontes rerum in usum suum adhibuerit, ipse nonnulla in universum tradidit, quae minoris quidem sunt momenti haud indigna memoratu. Et primum quidem monendum videtur, quod Scipio, qui in dialogo primas partes agit, ait l. I c. 22[1]: ‚neque his contentus sum, quae de ista consultatione scripta nobis summi ex Graecia sapientissimique homines reliquerunt, neque ea, quae mihi videntur, anteferre illis audeo. quam ob rem peto a vobis ut me sic audiatis, neque ut omnino expertem Graecarum rerum neque ut eas nostris in hoc praesertim genere anteponentem, sed ut unum e togatis patris diligentia non inliberaliter institutum studioque discendi a pueritia incensum, usu tamen et domesticis praeceptis multo magis eruditum quam litteris'. voluit igitur Tullius non modo Graecorum philosophorum libros, sed etiam rerum Romanarum auctores, quantum fieri posset, neglegere, plurima autem ex suo ingenio addere. et profecto illum putasse Graecis philosophis, quorum libros ad partem iuvenis perlegerat ad componendos libros politicos non tantopere sibi opus fore, sed suo Marte plerumque sese esse disputaturum iam elucet l. I c. 8, ubi et in disserendo de rebus publicis prudentem et usu rerum civilium gnarum sese ait ideoque Graecis philosophis praestantem, qui in disputationibus quidem perpoliti fuissent at imperiti artis rei publicae recte gerendae. veri autem aliquid iis inesse quae ex his locis concludimus, equidem etiam propterea contenderim, quod non sine

1) loci omnes ex editione Baiteri et Kayseri sunt desumpti.

magno labore[1] noster in libros de re publica operam impendit. nam id sine dubio factum non esset, si accuratius ad fontium auctoritatem se contulisset uti in ceteris fere omnibus scriptis philosophis, quae perbrevi temporis spatio conscripsit leviter tantum materia imbutus. Neque tamen prorsus Tullium Graecorum libros repudiasse comprobatur l. II c. 11, ubi Laelius dicit Scipionem ingressum esse de re publica disputare nova ratione, quae nusquam sit in Graecorum libris eumque fecisse neque cum Platone, qui fictam non constitutam rem publicam proposuerit neque cum ceteris Graecorum philosophis, qui sine ullo certo exemplari formaque rei publicae de rerum publicarum generibus solis disputaverint, sed eum fecisse utrumque et de diversis rerum publicarum formis disserentem et constitutam rem publicam i. e. Romanam tractantem[2].

Jam quaestio est, quosnam fontes Cicero inter eos qui ad manus ei fuerunt, in usum suum adhibuerit, quosnam neglexerit. Et praesto fuerunt Graecorum philosophorum libri fontesque rerum Romanarum. Graecorum philosophi, quorum libri Tullio adiumento esse potuerunt, inter eos esse videntur, qui legg. III, 6, 14 rerum politicarum scriptores afferuntur: Plato, Aristoteles, Heraclides Ponticus, Theophrastus, Dicaearchus, Demetrius Phalereus, a quibus vix differunt ii, quos Cicero div. II, 1, 3 diligentissime de rebus publicis disputasse ait: Platonem, Aristotelem, Theophrastum totamque Peripateticorum familiam. Quod ad Platonem attinet Politia eius Tullio, qui commenticiam civitatem proponere noluit, in conscribendis de re publica libris magno usui esse non potuit. nihilominus compluribus locis (I cc. 43. 44. IV cc. 4. 5), ubi nominatim Plato auctor laudatur, Tullium non prorsus eam neglexisse videmus. praeterea legum libri atque Politicus eiusdem aucto-

1) cf. ep. ad. Q. fr. II, 12, 1: ‚scribebam illa, quae dixeram, πολιτικά, spissum sane opus et operosum; sed, si ex sententia successerit, bene erit opera posita, sin minus, in illud ipsum mare deiciemus, quod spectantes scribimus'. deinde ad Att. IV, 16, 2: ‚utinam modo conata efficere possim! rem enim, quod te non fugit, magnam complexus sum et gravem et plurimi otii, quo ego maxime egeo'.

2) hanc novam rationem Cicero etiam in mente habuisse videtur, cum Philum dicentem induceret (I c. 23): ‚spero enim multo uberiora fore, quae a te dicentur, quam illa, quae a Graecis hominibus scripta sunt omnia'.

ris nostrum aliquid adiuvare poterant, at Politicum, cuius operis nusquam fecit mentionem vix secutus est. Aristotelem rerum politicarum scriptorem praeter locos s. a. Cicero in ep. ad Q. fr. (III, 5, 1) commemorat eumque in libris de re publica ipsum esse locutum neque antiquas personas induxisse ait. deinde huc accedunt quae legimus finn. V, 4, 11: ‚omnium fere civitatum non Graeciae solum, sed etiam barbariae, ab Aristotele mores, instituta, disciplinas, a Theophrasto leges etiam cognovimus. cumque uterque eorum docuisset, qualem esse in re publica principem conveniret, pluribus praeterea conscripsisset, qui esset optimus rei publicae status, hoc amplius Theophrastus, quae essent in re publica rerum inclinationes et momenta temporum, quibus esset moderandum, utcumque res postularet‘. quibus de rebus Aristoteles in libris octo de re publica disseruit. at cum exceptis his locis nusquam politici Aristotelis libri apud Tullium occurrant atque postremo loco noster Pisonem dicentem inducat Theophrastum Aristotelis discipulum idem fecisse et ad partem amplius, equidem non dubito, quin Cicero, si alterutri successit, Theophrastum Aristoteli praetulerit. hoc enim fecit saepissime, si licuit aut unum aut alterum sequi [1]. De Theophrasto autem nescio quid dicam. nam quamquam Tullius libenter in studium Theophrasti librorum politicorum se contulerit [2], tamen accuratiorem eorum cogni-

1) cf. finn. V, 5, 12, ubi Pisonem docentem quo modo Aristoteles et Theophrastus de vita beata disseruerint, in fine quaestionis sic loquentem fecit: ‚Theophrastum tamen adhibeamus ad pleraque‘. deinde sententiae nostrae id favet, quod legimus finn. I, 2, 6: ‚Theophrastus mediocriterne delectat, cum tractat locos ab Aristotele ante tractatos?‘ praeterea permulta sunt Aristotelis quae Tullio teste Theophrastus postea sua ratione tractavit. sic Theophrastum itemque Aristotelem cum philosophia dicendi etiam praecepta coniunxisse ait noster div. II, 1, 4; tum Theophrastus et Aristoteles in Academia vetere re congruentes, genere docendi paulum differentes dicuntur de legg. I, 13, 38. huc accedit quod uterque de his, quae propria oratorum sint, permulta scripsit (de or. I, 10, 43). denique saepe ab Aristotele, a Theophrasto mirabiliter est laudata per se ipsa rerum scientia (finn. V, 25, 73).

2) cf. ad Att. II, 9, 2: ‚video iam, quo invidia transeat et ubi sit habitatura: nihil me existimaris neque usu neque a Theophrasto didicisse, nisi brevi tempore desiderari nostra illa tempora videris‘.

tionem non habemus[1]. Cicero praeter ea quae loco allato cum Aristotele Theophrastum disseruisse comperimus, nihil nisi de magistratibus eum subtiliter quaesivisse (legg. III, 5, 13) et *τὸν θεωρητικὸν βίον* laudasse contra Dicaearchum *τὸν πρακτικόν* defendentem (ad. Att. II, 16, 3) tradidit. et haec fere omnia sunt, quae de politicis Theophrasti operibus scimus. huc accedit, quod loco supra exscripto nimiam vim non tribuerim, quia libro illo quinto dedita opera laudes Peripateticorum et Academicorum praedicantur. qua in re facile fieri potuit, ut noster auctori posteriori succederet. deinde constat Tullium, qui ut omnem philosophiam ita de re publica doctrinam ad vitae usum accommodavit, cum Theophrasto *τὸν θεωρητικὸν βίον* laudante discrepasse. His de causis in medio relinquere opus est habueritne Cicero in conscribendis de re publica libris Theophrasti opera politica veluti fontem annon. De Heraclide Pontico Platonis discipulo ac familiari, cuius secundum Aristotelem loco s. a. fit mentio in hac quaestione cogitari nequit, cum neque apud Tullium neque apud alios scriptores quidquam ad rem pertinens inveniatur[2]. neque mirum id quidem, quod noster in libris de re publica eum neglexit. nam politica eius videntur fuisse ‚moralia latiore vocis significatione‘,

---

1) fortasse verba ‚momenta temporum‘ (finn. V, 4, 11) ad libros quattuor *πολιτικῶν πρὸς τοὺς καιρούς* spectant. cf. Zeller, Gr. Ph. II, 2 p. 864.

2) nullius est momenti, quod Tullius anno natali huius de re publica operis Heraclidem Ponticum ex Cn. Sallustii sententia commemorat (ad Q. fr. III, 5, 1) sic: ‚ii libri cum in Tusculano mihi legerentur audiente Sallustio, admonitus sum ab illo multo maiore auctoritate illis de rebus dici posse, si ipse loquerer de re publica, praesertim cum essem non Heraclides Ponticus, sed consularis et is, qui in maximis versatus [in re publica] rebus essem; quae tam antiquis hominibus attribuerem, ea visum iri ficta esse; oratorum sermonem in illis nostris libris, quod esset de ratione dicendi, belle a me removisse, ad eos tamen rettulisse, quos ipse vidissem; Aristotelem denique, quae de re publica et praestanti viro scribat, ipsum loqui . . . . nunc . . . . loquar ipse tecum‘. Sallustius igitur Ciceroni persuadere studuit, ne veteres personas disputantes induceret, praesertim cum consularis principatum in sermone teneret. quibuscum consentiunt ea quae legimus in ep. ad Att. XIII, 19, 3. 4: ‚si Cottam et Varronem fecissem inter se disputantis (i. e. in quaestionibus academicis), ut a te proximis litteris admoneor, meum *κωφὸν πρόσωπον* esset. hoc in antiquis personis suaviter fit, ut et Heraclides in multis et nos sex ‚de re publica‘ libris fecimus‘.

quae veteres ethicae supposuerunt[1]. Demetrius Phalereus in politicarum rerum scriptoribus apud Ciceronem semel et loco quidem citato numeratur neque ullum opus politicum nisi quod est *περὶ τὴν Ἀττικὴν νομοθεσίαν* edidisse fertur. quam ob causam ille in quaestione nostra locum non habet. Aliter de Dicaearcho Aristotelis discipulo ingeniosissimo sentimus, quem summis laudibus Tullius effert[2]. et valde quidem ille nostrum delectavit, quod philosophiam, quoad fieri potuit, ad communem vitam adduxit[3]. scripta autem Dicaearchi politica laudantur dialogi, qui nomine locorum, ubi habitos ille finxerat, inscripti esse videntur[4]. deinde *πολιτεῖαι Πελληναίων, Κορινθίων* et *Ἀθηναίων*[5]. praeterea occurrunt Dicaearchi tabulae, quas Cicero de rep. II c. 4 exscripsit, ut profitetur in ep. ad Att. VI, 2, 3. tum Spartanorum rem publicam ac leges ille tractasse fertur, denique scripsit *Τριπολιτικόν*[6], in quo Photio[7] auctore optimam civitatis formam ex monarchiae, aristocratiae, democratiae principiis temperatam laudavit. qui libri nostro ad partem satis magna officia praestare potuerunt. Xenophontis libris, quos praeter commemoratos fontes Tullius lectitaverat, consulto vix usus est, cum non certo ordine, quod

---

1) haec est Fr. Schmidtii sententia in dissertatione, quam scripsit de Heraclidae Pontici et Dicaearchi Messenii dialogis deperditis. Vratislaviae 1867.

2) cf. Tusc. I, 31, 77: ‚deliciae meae Dicaearchus'. ad Att. II, 2: ‚*Πελληναίων* in manibus tenebam et hercule magnum acervum Dicaearchi mihi ante pedes exstruxeram. o magnum hominem! et unde multo plura didiceris quam de Procilio. *Κορινθίων* et *Ἀθηναίων* puto me Romae habere. mihi credes, † lege haec doceo mirabilis vir est'. ad Att. II, 12, 4: ‚Dicaearchum recte amas: luculentus homo est et civis haud paulo melior quam isti nostri *ἀδικαίαρχοι*'.

3) ad Att. II, 16, 3.

4) ad Att. XIII, 30. Tusc. I, 31, 77.

5) ad Att. II, 2.

6) ad Att. XIII, 32, 2.

7) bibl. cod. 37 ed. Bekk.: *Περιέχει δὲ ἡ πραγματεία λόγους ἕξ, ἐν οἷς καὶ ἕτερον εἶδος πολιτείας παρὰ τὰ τοῖς παλαιοῖς εἰρημένα εἰσάγει, ὃ καὶ καλεῖ Δικαιαρχικόν. Ἐπιμέμφεται δὲ τῆς Πλάτωνος δικαίως πολιτείας· ἣν δ' αὐτοὶ πολιτείαν εἰσάγουσιν, ἐκ τῶν τριῶν εἰδῶν τῆς πολιτείας δέον αὐτὴν συγκεῖσθαί φασι, βασιλικοῦ καὶ ἀριστοκρατικοῦ καὶ δημοκρατικοῦ, τὸ εἰλικρινὲς αὐτῇ ἑκάστης πολιτείας συνεισαγούσης, κἀκείνην τὴν ὡς ἀληθῶς ἀρίστην πολιτείαν ἀποτελούσης.*

hodie systema appellatur, ille de rebus publicis disputaret. at facillime fieri potuit, ut occasione data ex memoria sententias quasdam adderet. idem sentio de Isocratis Nicocle, qua in oratione de studiis ac moribus principis et de officiis civium disseritur. sed haec hactenus.

Romanarum rerum fontes, qui Ciceroni patuerunt et antiquiores et recentiores fuerunt. et ex priori quidem genere in libris de re publica commemorantur monumenta, in quibus leges regiae continebantur, deinde libri augurales, tum libri pontificii, denique annales maximi. quod ad leges regias attinet Tullius in libris suis politicis bis Numae legum fecit mentionem et primum quidem l. II, 14, 26: ‚Pompilius . . . . . animos propositis legibus [his], quas in monumentis habemus, ardentis consuetudine et cupiditate bellandi religionum caerimoniis mitigavit‘, deinde l. V, 2, 3: ‚diuturna pax Numae mater huic urbi iuris et religionis fuit, qui legum etiam scriptor fuisset, quas scitis exstare‘. praeterea semel in libris de legibus, ubi Numam auctorem fecit intercalationis (II, 12, 29)[1]. apparet satis pauca ex legibus regiis Tullium servasse, quamvis in libris de legibus satis superque occasionis habuerit earum fontes exhauriendi. atque, ut quid sentiam statim dicam, hoc ideo factum est, quod in his rebus fontes difficiliores fuerunt aditu. nam Granii Flacci commentarium vix cognovit, quod ne verbo quidem eum commemoravit neque quidquam obstat, ne putemus post Ciceronis demum aetatem editum eum esse, Papirianum autem ius, quod Pomponio teste praestantissimus legum regiarum fons erat, Tullium in suum usum habuisse negaverim idcirco quod, ut alia omittamus, iam e prisco usu loquendi exstiterunt ei difficultates, quibus haudquaquam par fuit. qua re ad alium fontem nobis confugiendum est. et lucem aliquam affundunt Ciceronis verba supra allata ‚quae in monumentis habemus‘; nam quae sint illa monumenta aliqua

---

1) quas interdum in universum regibus noster attribuit leges, non semper nituntur propriis quibusdam legibus regiis, sed plerumque oratorie ad haec tempora referuntur ut de dom. XII, 33, ubi negat legibus iam regiis quemquam civem Romanum sine iudicio damnari potuisse. deinde pro Rosc. Am. XXV 70: ‚(parricidas) insui voluerunt (maiores nostri) in culeum vivos atque in flumen deici‘, quae lex antiquissima appellatur, quamquam una est ex legibus Corneliis.

probabilitate statui potest ex duabus formulis regum temporibus a IIviris adhibitis ‚i lictor, conliga manus' et ‚caput obnubito, arbori infelici suspendito', quas Cicero in orat. pr. Rab. IV, 13 adnotavit et sequenti capite ad annalium monumenta atque ad regum commentarios rettulit. quam ob rem haud scio an Cicero etiam in libris de re publica annales maximos s. pontificum in mente habuerit. de regum quidem commentariis cogitari nequit, quos eadem de causa atque ius Papirianum omisit. neque adverser, si quis pauca illa legum regiarum vestigia ad XII. tabularum leges referat, quarum plurimae iam regum temporibus valebant[1]. hoc si verum est, non dubito, quin nostro Sex. Aelius in commentario XII. tabularum facem praetulerit, qui laudatur de or. I, 43, 193 sic: ‚sive quem haec Aeliana studia delectant, plurima est in omni iure civili et in pontificum libris et in XII. tabulis antiquitatis effigies, quod et verborum vetustas prisca cognoscitur et actionum genera quaedam maiorum consuetudinem vitamque declarant'. confer etiam de legg. II, 23, 59. Librorum auguralium auctoritatem in libris de re publica Scipio bis adhibet, quod optime fieri potuit, cum ille augur fuisset librosque collegii inspicere potuisset. et primum quidem occurrunt l. I, 40, 63: ‚in nostris libris vides eum (i. e. dictatorem), Laeli, magistrum populi appellari'. deinde l. II, 31, 54: ‚provocationem autem etiam a regibus fuisse declarant pontificii libri, significant nostri etiam augurales'. at Cicero usque ad annum 53/701, quo in M. Crassi locum in augurum collegium cooptatus est his libris uti non potuit, quod ipse a. 57/697 profitetur in or. de dom. 15, 39: ‚venio ad augures, quorum ego libros, si qui sunt reconditi, non scrutor; non sum in exquirendo iure augurum curiosus; haec, quae una cum populo

---

1) sic legem quam de intercalando Numam dedisse Cicero ait, Tuditanus teste Macrobio (Saturn. I, 13, 21) decemviris attribuit et Cassius eosdem scripsit auctores. diverso ordine Cicero aliquot leges XII. tabularum fuisse dicit, quas alii regibus adiudicaverunt. profero legem de ariete subiciendo agentem, quam Cicero ex XII. tabulis cognovit (cf. Schoell. tab. VIII, 24) et Servius in Numae legum numero habuit. porro lege quadam regia a Romulo primum lata Romani monstrosos partus occidere iubebantur, quae postea in tabulas decemvirales est adscita, unde Cicero (legg. III, 8, 19) eam cognovit. cf. Huschke, annal. litt. p. 173.

didici, quae saepe in contionibus responsa sunt, novi'. neque magis de Ap. Claudii libro cogitari potest, quem ca. annum 51/703 demum dono accepit, postquam opus suum politicum perfecit. restat C. Marcelli liber legg. II, 13, 32 laudatus, quem noster fortasse in perdito libro de auguriis ante oculos habuit et disserens de auspiciis peremnibus et ex acuminibus, de iure pomerii etc. exhausit, at in libris de re publica, ubi de augurali disciplina non agitur, in usum suum adhibere non potuit. itaque cum annalium quodam scriptore Tullium illa tradidisse crediderim, nisi forte ex memoria sint relata. Eadem ratio atque inter libros augurales intercedit inter libros pontificios, qui sine dubio in penetralibus pontificum latebant et a pontificibus solis inspici solebant[1]. quamobrem Cicero loco illo quo legimus provocationem etiam a regibus fuisse, libros pontificios non magis quam libros augurales ante oculos habuit. Etiam magistratuum commentarios Cicero neglexisse videtur. nam tabulas censorias, quae horum commentariorum praestantissimae fuerunt quaeque ante omnia in describendis Servianis centuriis (de rep. II c. 22) inspiciendae ei erant, vix secutus est, cum res ita confuse sint descriptae, ut doctissimi viri in verbis interpretandis ad certum finem non pervenerint. Jam de annalibus maximis disputandum nobis est, qui duplici forma occurrunt. et primum quidem in tabulis illis inscripti, in quibus Cicerone teste (de or. II, 12, 52) ‚ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium pontificem maximum res omnes singulorum annorum mandabat litteris pontifex maximus efferebatque in album[2] et proponebat tabulam domi, potestas ut populo esset cognoscendi', deinde editi a P. Scaevola, ‚qui', ut ait Tullius, ‚etiam nunc annales maximi nominantur'. quo modo verba ‚res omnes singulorum annorum' sint intellegenda, viri docti certant, alii enim locutionem ad verbum intellexerunt, alii, quibus ego assentior, ne nimis verba Ciceronis premerentur monuerunt. plus nostra interest disceptare habueritne Tullius illos fontem necne. et tabulis quidem illis

1) cf. Teuffel litt. rom. hist. § 74: ‚Von den ursprünglich nicht zur Veröffentlichung bestimmten Aufzeichnungen der Priester sind zu unterscheiden die von Anfang an mit Rücksicht auf die Veröffentlichung abgefassten annales maximi'.

2) cf. Liv. I, 32: in album relata.

domi propositis non usus est. nam, quod primum moneo, maxime dubium est fuerintne servatae, ut quisque eas inspicere potuerit, deinde, etiamsi praesto ei fuerunt, sine dubio exhibuerunt prisci aevi loquendi usum et legebantur in iis vocabula, quae aurea quidem litterarum aetate non amplius in usu fuerunt, neque unquam talia studia in Ciceronis deliciis fuerunt. non magis, ut opinor, annales pontificum editos noster in libris qui sunt de re publica ante oculos habuit. nam l. II, 15, 28, ubi Manilium induxit e Scipione quaerentem fueritne Numa rex Pythagorae ipsius discipulus an certe Pythagoreus, deinde pergentem ‚neque vero satis id annalium publicorum auctoritate declaratum videmus' Polybii historiam ad manus habuit, quocum etiam hunc annalium scriptorum errorem vituperavit, ut infra videbimus. praeterea nihil obstat, quin hoc ipso loco Tullium rem iam de or. II, 37, 154 commemoratam ex memoria rettulisse putemus. et de rep. I, 16, 25, ubi defectionem quandam solis et apud Ennium et in annalibus pontificum consignatam ait, verisimilius Ennii annales, quorum studium valde ei arrisit quam annales maximos fontem statuemus. huc accedit, quod annalium maximorum exile dicendi genus Ciceroni vehementer displicuit, uti perspicue intellegimus de or. II, 12, 53: ‚. . . . . annales maximi nominantur: hanc similitudinem scribendi multi secuti sunt, qui sine ullis ornamentis monumenta solum temporum, hominum, locorum gestarumque rerum reliquerunt'. quibuscum colligenda sunt, quae scripta sunt de legg. I, 2, 6: ‚nam post annalis pontificum maximorum, quibus nihil potest esse ieiunius' (i. e. Ursini coniectura pro iucundius, quod ad sententiarum conexum prorsus non quadrat) etc. Quibus de causis Hullmannum recte fecisse nego, qui in disputatione sua critica de annalibus maximis p. 68 suspicatus est Ciceronem in libris suis de re publica longe plura ex annalibus maximis deprompsisse quam se deprompsisse testetur, sed laudo H. Peterum (hist. lat. rell. p. XXIII) probantem Ciceroni in his rebus Polybium plerumque auctorem primarium fuisse. is enim in historiae suae libro sexto non modo de re publica Romana sed etiam de diversis rerum publicarum generibus disseruit et bis in libris de re publica (II, 14, 27. IV, 3, 3) auctor laudatur. Ut de annalibus maximis ita sentio de Fabio Pictore, cuius Tullius duobus locis mentionem

fecit et dicendi quidem eius rationem vituperans[1]. praeter hunc H. Peter Fabium quendam Pictorem praenomine Numerii Ciceroni in usu fuisse contendit, qui de div. I, 21, 43 annalium Graecorum scriptor appellatur. at quod nullo alio loco iste nobis occurrit, Hertzius[2] recte coniecisse videtur ‚Nostri' lenissima mutatione facta, quoniam et Numeri et Nostri siglum est N et N, nisi forte id mirum est, quod ‚noster' Fabius Pictor illo loco dicitur. nec magis probandum est, quod H. Peter Servilianum quoque Fabium Maximum inter annalium scriptores commemorat, qui Cicerone teste[3] et iuris et litterarum et antiquitatis bene peritus fuit. nam quattuor fragmentorum, quae H. Peter p. 114. 115 addidit, primum et tertium ad Fabium Pictorem annalium scriptorem, quartum ad iureconsultum referendum est, ex secundo nihil efficitur, cum nesciamus fuerintne verba ‚historiarum scribtor . . . .' appositio, an sit alius casus pro nominativo statuendus, post quem lacuna orationem interrumpit. iniuria igitur de compluribus Fabiis apud Ciceronem cogitatur, qui Fabii Pictoris annales et graece et latine scriptos in mente habuit[4]. Praeter Fabium Pictorem duobus locis s. c. M. Porcius Cato Censorius, L. Calpurnius Piso, C. Fannius, Vennonius propter exile dicendi genus vituperantur. nihilo setius Tullium Catonem pluris quam ceteros obiter semel aut bis commemoratos aestimasse et concludo ex verbis additis (de legg. I, 2, 6): ‚quamquam ex his alius alio plus habet virium', et duobus fragmentis probatur, quae ex Originum libris VII supersunt. Tullio enim teste ille ‚in principio scripsit Originum suarum, clarorum virorum et magnorum non minus otii quam negotii rationem exstare oportere'[5]. quae sunt verba eiusdem anni, quo noster libros de re publica sub manibus habuit. deinde ‚solitos esse in epulis canere convivas ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus'[6] enar-

1) de or. II, 12, 53. de legg. I, 2, 6.
2) Philol. klin. Streifzug p. 32 sqq.
3) Brut. 21, 81.
4) de div. I, 26, 55. Nipperdeius, Philologus VI p. 131 sqq. Teuffelius, rom. litt.[2] p. 179.
5) pr. Plancio 27, 66.
6) Tusc. I, 2, 3. IV, 2, 3. Brut. 19, 75.

ravit[1]. facile igitur fieri potuit, ut Cicero in libris qui sunt de re publica, Catonis Originibus adiuvaretur, modo ut de rebus gestis regum populi Romani libro primo Cato scripserit[2], quod Jordanus negat. Saepius quam ceteri omnes annalium scriptores quos commemoravimus, aequalibus Ciceronis in manibus fuerunt L. Valerius Antias et Licinius Macer, quorum ille optimatium fautor erat, hic plebis partes sustinuit. at videtur Tullius, qui nusquam Antiatis annalium mentionem fecit, fabulis istis et narratiunculis, quibus illi referti erant quaeque illa aetate plurimis placuerunt, ab horum librorum studio esse abductus. Licinium Macrum uno loco quo annalium scriptor occurrit, propter scribendi rationem vehementer reprehendit[3]. quam ob rem Tullium eum neglexisse pro certo habeo. Supremum scriptorum, de quibus in hac dissertatione cogitandum est M. Terentium Varronem affero, cuius libros Ciceronem in usum suum adhibuisse non negaverim comparatis iis quae ad Atticum (IV, 14, 1) in Cumano mense Maio a. 700 i. e. eodem anno quo libros de re publica coeperat componere, scripsit: ‚velim domum ad te scribas, ut mihi tui libri pateant non secus ac si ipse adesses, cum ceteri, tum Varronis; est enim mihi utendum quibusdam rebus ex his libris ad eos, quos in manibus habeo (i. e. de re publica), quos, ut spero, tibi valde probabo‘.

---

1) ad Originum libros, qui soli ad nostram quaestionem spectant, non referuntur, quae Catoni tribuuntur de rep. II, 1, 2: ‚is dicere solebat ob hanc causam praestare nostrae civitatis statum ceteris civitatibus, quod in illis singuli fuissent fere, qui suam quisque rem publicam constituissent legibus atque institutis suis . . . . nostra autem res publica non unius esset ingenio, sed multorum, nec una hominis vita, sed aliquot constituta saeculis et aetatibus‘. nam est dictum quoddam Catonis saepius adhibitum, ut docent verba ‚dicere solebat‘.

2) Nepos, vita Catonis c. III.

3) de legg. I, 2, 7: ‚quid Macrum numerem? cuius loquacitas habet aliquid argutiarum, nec id tamen ex illa erudita Graecorum copia, sed ex librariolis Latinis; in orationibus autem multa, sed inepta elatio, summa inpudentia‘.

LIBER I.

Priusquam de optimo rei publicae statu fiat sermo, Tullius nonnulla prooemii loco praemisit, in quibus dubitationem virorum virtute ac sapientia praestantium ad rem publicam adeundi tollere studuit, deinde de quibusdam rebus caelestibus disputavit. quas res quamquam ad partem ad auctores quosdam spectant, tamen ex memoria esse relatas equidem puto propterea, quod comparatae non semper accurate concinunt, deinde quod non series quaedam sententiarum uni cuidam auctori tribui potest, sed singulae sparsim occurrunt neque ita Cicero fontibus rerum uti solebat, ut excerpta una alterave sententia eos neglegeret. quosnam auctores in mente habuerit, quoad fieri potest, liceat addere. In priori praefationis parte principium deest, quo haud scio an noster *τὸν πρακτικὸν βίον* praetulerit *τῷ θεωρητικῷ* studueritque probare viro patriae amante dignius esse in re publica administranda quam in otio vitam degere. nam de utraque vitae instituendae ratione, ut mihi quidem videtur, disputandum ei erat, priusquam viros illos in omni actione atque administratione rei publicae florentes enumeraret. hoc si verum est, non dubito, quin Cicero in iis quae initio libri primi desideramus quaestionem illam simili modo tractaverit atque Dicaearchus et ante hunc Aristoteles Polit. IV (VII), 2[1]: *ἀμφισβητεῖται ..... πότερον ὁ πολιτικὸς καὶ πρακτικὸς βίος αἱρετὸς ἢ μᾶλλον ὁ πάντων τῶν ἐκτὸς ἀπολελυμένος, οἷον θεωρητικός τις, ὃν μόνον τινές φασιν εἶναι φιλόσοφον.* ib. c. 3: *οἱ μὲν γὰρ ἀποδοκιμάζουσι τὰς πολιτικὰς ἀρχὰς νομίζοντες τόν τε τοῦ ἐλευθέρου βίον ἕτερόν τινα εἶναι τοῦ πολιτικοῦ καὶ πάντων αἱρετώτατον, οἱ δὲ τοῦτον*

1) in exscribendis Aristotelis locis Susemihli editionem adhibui.

ἄριστον· ἀδύνατον γὰρ τὸν μηδὲν πράττοντα πράττειν εὖ, τὴν δὲ εὐπραγίαν καὶ τὴν εὐδαιμονίαν εἶναι ταὐτόν. Deinde in iis quae initio desiderantur fortasse addidit summam rei publicae administrandae artem et in virtute et in sapientia positam esse, quam sententiam in sequentibus capp. accuratius exposuit et ad finem prooemii summa cum gravitate repetiit[1]. et primum quidem de virtute agitur, cuius tantam necessitatem generi hominum insitam esse dicit, ut ea vis omnia blandimenta voluptatis otiique vicerit (cap. 1 exeunte). sic Dicaearchus scripsisse videtur Aristotelem secutus, qui in eodem cum prioribus sententiarum conexu affirmat (c. 3) τὸν μετ᾽ ἀρετῆς εἶναι βίον αἱρετώτατον. Virtus autem, ut Cicero pergit, in actione consistere debet neque sufficit, ut illam quisquam quasi artem aliquam habeat c. 2: ‚nec vero habere virtutem satis est quasi artem aliquam. nisi utare: etsi ars quidem, cum ea non utare, scientia tamen ipsa teneri potest; virtus in usu sui tota posita est, usus autem eius est maximus civitatis gubernatio et earum ipsarum rerum, quas isti in angulis personant, reapse, non oratione perfectio‘. etiam hic, ut opinor, Tullius Dicaearchi locum quendam in mente habuit ab Aristotele ante tractatum Polit. IV (VII), 3: δεῖ δ᾽ οὐ μόνον ἀρετὴν ἀλλὰ καὶ δύναμιν ὑπάρχειν, καθ᾽ ἣν ἔσται πρακτικός. ib. c. 2: μόνον γὰρ ἀνδρὸς τὸν πρακτικὸν εἶναι βίον καὶ πολιτικόν, ἐφ᾽ ἑκάστης γὰρ ἀρετῆς οὐκ εἶναι πράξεις μᾶλλον τοῖς ἰδιώταις ἢ τοῖς τὰ κοινὰ πράττουσι καὶ πολιτευομένοις. ib. c. 1: βίος μὲν ἄριστος, καὶ χωρὶς ἑκάστου καὶ κοινῇ ταῖς πόλεσιν, ὁ μετὰ ἀρετῆς κεχορηγημένης ἐπὶ τοσοῦτον ὥστε μετέχειν τῶν κατ᾽ ἀρετὴν πράξεων. In sequentibus Cicero accuratius exposuit, quanto viri tali virtute praestantes civitati usui sint, eosque longe praetulit viris doctis, qui aut oratione aut scriptis suis de constituenda civitate meruerunt. quae omnia in Dicaearchi sententiam incidunt πολιτικόν sive πρακτικὸν βίον pluris aestimantis quam θεωρητικόν seu φιλόσοφον. Neque tamen viri virtute praestantes rem publicam bene ad-

---

1) I, 20, 33: ‚quid igitur censes, Laeli, discendum nobis, ut istud efficere possimus ipsum, quod postulas?‘ ‚eas artis, quae efficiant, ut usui civitati simus; id enim esse praeclarissimum s a p i e n t i a e munus maximumque v i r t u t i s vel documentum vel officium puto‘. cf. etiam II, 12, 24.

ministrabunt, si ingenio et doctrina carent. itaque cap. 4 Tullius sapientium esse contendit ad rem publicam accedere, si salus eius his curae sit. hac de re quae legimus, ad Platonem aspirant, qui locis permultis civitatem a sapientibus optime gubernari explanat. notissimum est illud enuntiatum (reip. V p. 473 D), in quo apertis verbis declarat neque civitati neque hominum generi requiem ullam fore malorum nisi philosophi civitatibus dominentur regesque ac potentes sufficienter philosophentur, denique nisi in idem civilis potentia et philosophia concurrant. qua in quaestione summi etiam momenti sunt, quae scripta sunt in ep. ad Q. fr. I, 1, 29: ‚atque ille quidem princeps ingenii et doctrinae Plato tum denique fore beatas res publicas putavit, si aut docti et sapientes homines eas regere coepissent, aut ii, qui regerent, omne suum studium in doctrina et sapientia conlocassent‘. In libris de re publica sunt ea Platonis, quibus noster probare studet sapienti a natura esse impositum omnes ingenii vires et facultates ad rei publicae salutem impendere cap. 4, 8: ‚neque enim hac nos patria lege genuit aut educavit, ut nulla quasi alimenta exspectaret a nobis ac tantum modo nostris ipsa commodis serviens tutum perfugium otio nostro suppeditaret et tranquillum ad quietem locum, sed ut plurimas et maximas nostri animi, ingenii, consilii partis ipsa sibi ad utilitatem suam pigneraretur tantumque nobis in nostrum privatum usum, quantum ipsi superesse posset, remitteret‘. quo enim spectent ipse addidit de off. I, 7, 22: ‚sed quoniam, ut praeclare scriptum est a Platone, non nobis solum nati sumus ortusque nostri partem patria vindicat‘ itemque de finn. II, 14, 45: (homo) ‚ut ad Archytam scripsit Plato, non sibi se soli natum meminerit, sed patriae, sed suis‘. in mente habuit epistulam nonam, in qua Plato sententiam nostram sic expressit: *ἕκαστος ἡμῶν οὐχ αὑτῷ μόνον γέγονεν, ἀλλὰ τῆς γενέσεως ἡμῶν τὸ μέν τι ἡ πατρὶς μερίζεται, τὸ δέ τι, οἱ γεννήσαντες· τὸ δέ, οἱ φίλοι.*

Neque sapientem decet rei publicae gubernatione se abstinere, etiamsi, quod plerumque fit, simul homines nequam ad honores obrepant, quibuscum conferre non modo turpe sed etiam periculosum sit, quoniam facile fieri possit, ut deteriores magno rei publicae incommodo dominentur (c. 5). qua ex sententia Ciceronis verba ‚proinde quasi bonis et fortibus et

magno animo praeditis ulla sit ad rem publicam adeundi causa iustior quam ne pareant inprobis' cum Platonis conferri possunt, qui ait maximam esse multarum deterioris imperium ferre, nisi ipse quis imperare velit reip. I p. 347 C: *τῆς δὲ ζημίας μεγίστη τὸ ὑπὸ πονηροτέρου ἄρχεσθαι, ἐὰν μὴ αὐτὸς ἐθέλῃ ἄρχειν.*

Huc accedit quod sapientibus noster istos contemnendos esse persuadet, qui de civitatis gubernatione certantes ,palam dicere atque in eo multum etiam gloriari solent, se de rationibus rerum publicarum aut constituendarum aut tuendarum nihil nec didicisse umquam nec docere, earumque rerum scientiam non doctis hominibus ac sapientibus, sed in illo genere exercitatis concedendam putant' (c. 6, 11). quibuscum aliquam comparationem ea habent, quae de isto hominum genere praebet Plato reip. VI p. 488 B: *νόησον . . . . . . τοὺς δὲ ναύτας στασιάζοντας πρὸς ἀλλήλους περὶ τῆς κυβερνήσεως, ἕκαστον οἰόμενον δεῖν κυβερνᾶν, μήτε μαθόντα πώποτε τὴν τέχνην μήτε ἔχοντα ἀποδεῖξαι διδάσκαλον ἑαυτοῦ μηδὲ χρόνον ἐν ᾧ ἐμάνθανε, πρὸς δὲ τούτοις φάσκοντας μηδὲ διδακτὸν εἶναι.*

Platonis etiam esse videtur, quem fortunatum Tullius (c. 17) putat; sic enim dicit sapientem opes contemnentem, in quarum possessione etiam deterrimi esse possint: ,agros vero et aedificia et pecudes et inmensum argenti pondus atque auri qui bona nec putare nec appellare soleat, quod earum rerum videatur ei levis fructus, exiguus usus, incertus dominatus, saepe etiam deterrimorum hominum inmensa possessio, quam est hic fortunatus putandus!' deinde sic appellatur ,qui imperia consulatusque nostros in necessariis, non in expetendis rebus, muneris fungendi gratia subeundos, non praemiorum aut gloriae causa adpetendos putet'. nam postquam Plato exposuit felices non esse quos vulgus soleat divites existimare, pergit (legg. V p. 742 E): *λέγουσι δὲ τοὺς κεκτημένους ἐν ὀλίγοις τῶν ἀνθρώπων νομίσματος ἄξια κτήματα, ἃ καὶ κακός τις κέκτητ᾽ ἄν.* alteram Tullianae sententiae partem praebet reip. I p. 347 B: *οὔτε χρημάτων ἕνεκα ἐθέλουσιν ἄρχειν οἱ ἀγαθοὶ οὔτε τιμῆς.*

Certissimum argumentum, quo probatur plurima Tullium in praefatione ex memoria rettulisse eiusdem capitis in fine habemus, ubi noster sapientes homines studiaque litterarum

laudans tradidit haec: ,ut mihi Platonis illud, seu quis dixit alius, perelegans esse videatur, quem cum ex alto ignotas ad terras tempestas et in desertum litus detulisset, timentibus ceteris propter ignorationem locorum, animadvertisse dicunt in arena geometricas formas quasdam esse descriptas, quas ut vidisset, exclamavisse ut bono essent animo; videre enim se hominum vestigia: quae videlicet ille non ex agri consitura, quam cernebat, sed ex doctrinae indiciis interpretabatur'. in mente autem dictum quoddam Aristippi habuit, ut apparet ex initio libri sexti Vitruviani: ,Aristippus philosophus Socraticus naufragio cum eiectus ad Rhodiensium litus animadvertisset geometrica schemata descripta, exclamavisse ad comites ita dicitur: bene speremus, hominum enim vestigia video'[1].

Simulatque de rebus caelestibus disputari desitum est, sermo in propositam rem incidit et primum quidem quaeritur, quid sit res publica, quid populus, deinde tria rerum publicarum genera probabilia ac perversa afferuntur tria, denique omnium optimum genus ex trium probabilium principiis compositum laudatur (cc. 25—29). quam rem ex Dicaearchi Tripolitico manasse Osannus[2] monuit. recentiore tempore Zell[3], qui excepto Dicaearcho veterum scriptorum de permixta rei publicae forma iudicia collegit et subtiliter persecutus est, Polybium Tullii auctorem statuit. Osannum autem recte vidisse iam ex eo fit probabile quod Tullius, cum Scipionem de origine civitatis dicentem induceret (c. 24) ,nec vero .. ita disseram de re tam inlustri tamque nota, ut ad illa elementa revolvar, quibus uti docti homines his in rebus solent, ut a prima congressione maris et feminae, deinde a progenie et cognatione ordiar' a Graecorum philosophis discessurum se ait, qui saepius ,docti homines' dicuntur. et Tullium hoc loco de Dicaearcho cogitare potuisse equidem putaverim propterea quod vix dubium est, quin ille cum Aristotele[4] magistro hanc rem attigerit. Polybius qui in haec elementa incidit verbis *πάντων γὰρ πρὸς τὰς συνουσίας ὁρμώντων κατὰ φύσιν, ἐκ δὲ τούτων παιδοποιίας*

---

1) Aristippi verba hodie, opinor, non habemus.

2) Beiträge zur griech. u. röm. Literaturgeschichte. tom. II p. 8 sqq.

3) in programmate univers. Heidelbergensis a. 1851. deinde in Ferien Schriften. Neue Folge. Zweite Hälfte p. 251—85.

4) Polit. I, 2.

ἀποτελουμένης (l. VI, 6, 2)[1] Dicaearchi rationem servasse videtur[2]. Jam quaeritur quid sit res publica, quid populus (c. 25, 39): ‚est igitur . . res publica res populi, populus autem non omnis hominum coetus quoquo modo congregatus, sed coetus multitudinis iuris consensu et utilitatis communione sociatus'. quam definitionem apud Polybium desideramus sive libro sexto quem excerptum et valde mutilatum habemus, interierit sive eam ille non addiderit. utcumque res est, nihil obstat, quin putemus Ciceronem secutum esse Dicaearchum, qui in Tripolitico hac de re accuratius egisse videtur quam magister. Aristoteles enim nihil tradidit nisi haec: *οὐδ' ἐκ τοῦ τυχόντος πλήθους πόλις γίνεται* [Polit. VIII (V), 3]: deinde: *ἡ γὰρ πόλις πλῆθός ἐστιν, οὐ τὸ τυχόν* [ib. IV (VII), 8], quibuscum conferri possunt Ciceronis verba ‚populus non omnis hominum coetus quoquo modo congregatus'. Post hanc interpretationem, cur homines dissipati se congregent, Cicero explicare studet. et pergit quidem sic: ‚prima causa coëundi est non tam inbecillitas quam naturalis quaedam hominum quasi congregatio', cuius sententiae pars prior haud differt a Polybio, qui causam hominum coniunctionis putat fuisse singulorum imbecillitatem l. VI, 5, 7: *εἰκός, κατὰ τοῦτο εἰς τὸ ὁμόφυλον συναγελάζεσθαι διὰ τὴν τῆς φύσεως ἀσθένειαν.* alteram partem cum Aristotelis verbis comparare possumus, in quibus hominem sociale animal appellat Polit. I, 2: *ὁ ἄνθρωπος φύσει πολιτικὸν ζῷον* et paulo infra: *φύσει μὲν οὖν ἡ ὁρμὴ ἐν πᾶσιν ἐπὶ τὴν τοιαύτην κοινωνίαν.* nemo tamen putabit Ciceronem, quae hac de re Polybius et Aristoteles protulerint, inquisivisse eorumque sententias in unam composuisse, cum carptim hinc et inde sumere noster non soleret. multo verisimilius est Ciceronem hoc loco accuratius quam Polybium Dicaearchi sententiam tradidisse.

Ad fontem modo laudatum etiam referam quae exstant c. 26, 41: ‚nec ipsius rei publicae reperiatur ulla institutio', quam sententiam praebet Dicaearchi auctor Aristoteles Polit. I, 2: *φανερὸν ὅτι τῶν φύσει ἡ πόλις ἐστί* et paulo infra: *καὶ πρότερον δὴ τῇ φύσει πόλις ἢ οἰκία καὶ ἕκαστος ἡμῶν ἐστίν. τὸ γὰρ ὅλον πρότερον ἀναγκαῖον εἶναι τοῦ μέρους.* deinde Dicaearcho

---

1) Numeri sunt editionis Hultschianae.
2) cf. Zeller, Gr. Philos. II, 2 p. 893.

tribuam, quae sequuntur verba: ‚omnis civitas, quae est constitutio populi, omnis res publica, quae, ut dixi, populi res est, consilio quodam regenda est, ut diuturna sit. id autem consilium primum semper ad eam causam referendum est, quae causa genuit civitatem‘ i. e. ad concordiam, felicitatem mutuamque utilitatem, ut recte interpretatur Maius p. 72 laudans Aristotelis Polit. I, 1. III, 9. VI (IV), 4, quem nos auctorem Ciceronis secundarium habemus.

Consilium, quo civitas carere nequit ‚aut uni tribuendum est aut delectis quibusdam aut suscipiendum est multitudini atque omnibus. cum penes unum est omnium summa rerum, regem illum unum vocamus et regnum eius rei publicae statum; cum autem est penes delectos, tum illa civitas optimatium arbitrio regi dicitur; illa autem est civitas popularis — sic enim appellant —, in qua in populo sunt omnia‘ (c. 26, 42). qua in re cum Platone[1], Aristotele[2], Polybio[3] al. noster consentit. neque tamen Platonem, cuius Politicum Tullius nusquam commemorat, secutus est neque Polybium, qui non eodem modo cum Tullio pergit. nam ille statim permixtum ex tribus illis genus laudat, hic, priusquam id faciat, de tribus generibus per se probabilibus accuratius disserit eisque tria perversa opponit. Comparatio aliqua est apud Aristotelem, qui eodem sententiarum conexu (Polit. III, 7--9), et de causa instituendae civitatis et de tribus probabilibus atque perniciosis rerum publicarum generibus disputat. huc accedit, quod Cicero inter legitimas formas populare genus ‚minime probandum‘ censet, quod Polybius neglexit, quod Platonem fecisse Aristoteles[4] monet. Attamen

---

1) in Politico p. 302 C: *μοναρχιαν φημὶ καὶ ὀλίγων ἀρχὴν καὶ πολλῶν εἶναι τρεῖς ταύτας.*

2) Polit. III, 7: *ἀνάγκη δ' εἶναι κύριον ἢ ἕνα ἢ ὀλίγους ἢ τοὺς πολλούς .... καλεῖν δ' εἰώθαμεν τῶν μὲν μοναρχιῶν τὴν πρὸς τὸ κοινὸν ἀποβλέπουσαν συμφέρον βασιλείαν, τὴν δὲ [τῶν] ὀλίγων μὲν πλειόνων δὲ ἑνὸς ἀριστοκρατίαν (ἢ διὰ τὸ τοὺς ἀρίστους ἄρχειν, ἢ διὰ τὸ πρὸς τὸ ἄριστον τῇ πόλει καὶ τοῖς κοινωνοῦσιν αὐτῆς), ὅταν δὲ τὸ πλῆθος πρὸς τὸ κοινὸν πολιτεύηται συμφέρον, καλεῖται τὸ κοινὸν ὄνομα πασῶν τῶν πολιτειῶν, πολιτεία.*

3) *τὸ μὲν καλοῦσι βασιλείαν, τὸ δ' ἀριστοκρατίαν, τὸ δὲ τρίτον δημοκρατίαν* (VI, 3, 5).

4) Polit. VI (IV), 2: *ἐκεῖνος* (i. e. *Πλάτων*) *μὲν γὰρ ἔκρινε πασῶν μὲν οὐσῶν ἐπιεικῶν, οἷον ὀλιγαρχίας τε χρηστῆς καὶ τῶν ἄλλων, χειρίστην*

ex utriusque disputandi ratione apparet non Aristotelem, sed alium quendam scriptorem, quem Dicaearchum fuisse existimo, Ciceronis auctorem primarium statuendum esse.

Capite 27 de tribus simplicibus rerum publicarum generibus disseritur, quae apud Polybium desideramus. dicit enim Tullius singulis formis probabilibus per se aliquid iniusti inesse: ‚et in regnis nimis expertes sunt ceteri communis iuris et consilii, et in optimatium dominatu vix particeps libertatis potest esse multitudo, cum omni consilio communi ac potestate careat, et cum omnia per populum geruntur, quamvis iustum atque moderatum, tamen ipsa aequabilitas est iniqua, cum habet nullos gradus dignitatis‘. quod de civitate, cui optimates praesunt, atque de regis imperio sentit Aristoteles Polit. III, 10: *ἀλλὰ τοὺς ἐπιεικεῖς ἄρχειν δεῖ καὶ κυρίους εἶναι πάντων; οὐκοῦν ἀνάγκη τοὺς ἄλλους ἀτίμους εἶναι πάντας, μὴ τιμωμένους ταῖς πολιτικαῖς ἀρχαῖς· τιμὰς γὰρ λέγομεν εἶναι τὰς ἀρχάς· ἀρχόντων δ' αἰεὶ τῶν αὐτῶν ἀναγκαῖον εἶναι τοὺς ἄλλους ἀτίμους. ἀλλ' ἕνα τὸν σπουδαιότατον ἄρχειν βέλτιον; ἀλλ' ἔτι τοῦτο ὀλιγαρχικώτερον· οἱ γὰρ ἄτιμοι πλείους.* aliter de democratia capite illo iudicat, quam falso civitatis statum intellegit, ubi potentiorum opes dividantur[1] atque omnia communia sint. hunc errorem Tullius cum Dicaearcho duce vitasse videtur, qui Aristotelis locum sine dubio retractavit, ut patefactis incommodis quae simplicibus allatis generibus subessent, temperatum ex illis genus optimum esse comprobaret. et Dicaearchum nostro facem praetulisse eo probabilius est, cum nesciam quem alium scriptorem hac in re inspicere potuerit.

Deinde tria illa rerum publicarum genera vituperantur, quod nullum sit stabile ac firmum, sed facile quodque in vitiosum proximum degeneret (c. 28): ‚nullum est enim genus illarum rerum publicarum, quod non habeat iter ad finitimum quoddam malum praeceps ac lubricum‘. quod Polybius l. VI cc. 7—9 accuratius exponit quodque Lycurgum quoque vidisse ait ib. c. 10, 2: *ἐκεῖνος . . . . συλλογισάμενος ὅτι πᾶν εἶδος πολιτείας ἁπλοῦν καὶ κατὰ μίαν συνεστηκὸς δύναμιν ἐπισφαλὲς*

δημοκρατίαν, φαύλων δὲ ἀρίστην. Plato id fecit in Politico p. 303 A: *πασῶν μὲν νομίμων τῶν πολιτειῶν οὐσῶν τούτων χειρίστη.*

1) *οἱ πλείους τὰ τῶν ἐλαττόνων ἂν διανέμωνται, φανερὸν ὅτι φθείρουσι τὴν πόλιν.*

γίνεται διὰ τὸ ταχέως εἰς τὴν οἰκείαν καὶ φύσει παρεπομένην ἐκτρέπεσθαι κακίαν. neque tamen Polybium Tullii auctorem fuisse contenderim, verisimilius est utrumque cum Dicaearcho hac de re disputasse.

Quae de tribus rerum publicarum formis non turbatis atque permixtis ratione quadam sunt exposita, exemplis quibusdam Tullius (cc. 27 et 28) illustrat. et Cyro quidem, quem ad effigiem regalis imperii scripsit, Phalaridem illum crudelissimum opponit; cum Massiliensium re publica per delectos ac principes cives summa iustitia administrata Atheniensium civitatem ex triginta virorum consensu et factione moderatam comparat; denique apud eosdem Athenienses democratiam ad extremos generis sui fines progressam degenerasse ostendit. id fortasse volunt dicere Polybii verba (VI, 3, 9—12): *καὶ γὰρ μοναρχικὰς καὶ τυραννικὰς ἤδη τινὰς τεθεάμεθα πολιτείας, αἳ πλεῖστον διαφέρουσαι βασιλείας παραπλήσιον ἔχειν τι ταύτῃ δοκοῦσιν· ᾗ καὶ συμψεύδονται καὶ συγχρῶνται πάντες οἱ μόναρχοι, καθ᾽ ὅσον οἷοί τ᾽ εἰσίν, τῷ τῆς βασιλείας ὀνόματι. καὶ μὴν ὀλιγαρχικὰ πολιτεύματα καὶ πλείω γέγονε δοκοῦντα παρόμοιον ἔχειν τι τοῖς ἀριστοκρατικοῖς, ἃ πλεῖστον ὡς ἔπος εἰπεῖν διεστᾶσιν. ὁ δ᾽ αὐτὸς λόγος καὶ περὶ δημοκρατίας.* at hoc quoque loco non est, quod Polybium Tullii auctorem habeamus, multo potius putandum est utrumque a Dicaearcho esse adductum, ut sua ratione de eadem re disputaret.

Jam paginae duae in palimpsesto desiderantur, in quibus Cicero tria perniciosa rerum publicarum genera probabilibus illis tribus contraria accuratius descripsit simul, ut videtur, unde profecta essent demonstrans. nam post lacunam de permutationibus rerum publicarum agitur, quod fieri non potuit nisi Cicero, uti proposuimus, rem instituisset. quod etiam apparet ex cap. 29: ‚quartum quoddam genus rei publicae maxime probandum esse sentio, quod est ex his, quae prima dixi, moderatum et permixtum tribus‘. videmus igitur nostrum secundo loco perniciosa tria genera commemorasse, quae nunc frustra quaerimus. deinde id probatur verbis quae tanquam dispositionem librorum duorum primorum praebent (II, 39, 65): ‚primum enim numero definieram genera civitatum tria probabilia, perniciosa autem tribus illis totidem contraria, nullumque ex eis unum esse optimum, sed id praestare singulis, quod e tribus

primis esset modice temperatum'. itaque sententiarum seriem interruptam aliquantum ita resarcire liceat, ut in hunc locum verba substituamus, quae summatim hac de re Cicero fecit I, 45, 69: ,illa prima facile in contraria vitia convertuntur, ut exsistat ex rege dominus, ex optimatibus factio, ex populo turba et confusio'. quibuscum apte comparatur Polybius VI, 4, 7—10: *πρώτη μὲν οὖν ἀκατασκεύως καὶ φυσικῶς συνίσταται μοναρχία· ταύτῃ δ' ἕπεται καὶ ἐκ ταύτης γεννᾶται μετὰ κατασκευῆς καὶ διορθώσεως βασιλεία. μεταβαλλούσης δὲ ταύτης εἰς τὰ συμφυῆ κακά, λέγω δ' εἰς τυραννίδα, αὖθις ἐκ τῆς τούτων καταλύσεως ἀριστοκρατία φύεται. καὶ μὴν ταύτης εἰς ὀλιγαρχίαν ἐκτραπείσης κατὰ φύσιν, τοῦ δὲ πλήθους ὀργῇ μετελθόντος τὰς τῶν προεστώτων ἀδικίας, γεννᾶται δῆμος. ἐκ δὲ τῆς τούτου πάλιν ὕβρεως καὶ παρανομίας ἀποπληροῦται σὺν χρόνοις ὀχλοκρατία.* deinde Aristoteles Polit. III, 7: *παρεκβάσεις δὲ τῶν εἰρημένων τυραννὶς μὲν βασιλείας, ὀλιγαρχία δὲ ἀριστοκρατίας, δημοκρατία δὲ πολιτείας.* item Plato in Politico p. 302 D, abhorret autem reip. VIII p. 545 sqq. ubi quattuor perversa rerum publicarum genera statuit: *τιμοκρατίαν, ὀλιγαρχίαν, δημοκρατίαν, τυραννίδα.* Praeterea loco commemorato ea partim interierunt, quae de rerum publicarum permutationibus ac vicissitudinibus noster disseruerat. lacuna enim relicta scriptum est dominum efflorescere vel ex optimatium potestate vel factione tyrannica vel regia vel etiam saepe populari. quae cum Polybio non consentiunt, cuius ratione (VI cc. 7—9) ex rege fit dominus eoque expulso aut interfecto optimates imperium tenent, qui paulatim in factionem degenerant, ea quoque remota populus ipse rem publicam gubernat, quae potestas tandem ad vulgus transit. hanc ob causam suo iure noster pergit dicere (c. 29): ,mirique sunt orbes et quasi circumitus in rebus publicis commutationum ac vicissitudinum; quos cum cognosse sapientis est, tum vero prospicere inpendentis in gubernanda re publica, moderantem cursum atque in sua potestate retinentem, magni cuiusdam civis et divini paene est viri'. Polybiana autem ratione haud difficile est dictu quod in genus aliqua civitatis forma transeat, quod naturali quadam via id fiat (VI, 9, 10. 11): *Αὕτη πολιτειῶν ἀνακύκλωσις, αὕτη φύσεως οἰκονομία, καθ' ἣν μεταβάλλει καὶ μεθίσταται καὶ πάλιν εἰς αὑτὰ καταντᾷ τὰ κατὰ τὰς πολιτείας. ταῦτά τις σαφῶς ἐπεγνωκὼς χρόνοις μὲν ἴσως διαμαρ-*

τήσεται λέγων ὑπὲρ τοῦ μέλλοντος περὶ πολιτείας· τὸ δὲ ποῦ τῆς αὐξήσεως ἕκαστόν ἐστιν ἢ τῆς φθορᾶς, ἢ ποῦ μεταστήσεται, σπανίως ἂν διασφάλλοιτο, χωρὶς ὀργῆς ἢ φθόνου ποιούμενος τὴν ἀπόφασιν.[1] propius a Polybii sententia absunt Ciceronis verba, quae hac de re fecit l. II, 25, 45: ‚Hic ille iam vertetur orbis, cuius naturalem motum atque circuitum a primo discite atque cognoscite: id enim est caput civilis prudentiae .... videre itinera flexusque rerum publicarum, ut, cum sciatis, quo quaeque res inclinet, retinere aut ante possitis occurrere'. quod mea quidem opinione ita factum est, ut noster libro primo Dicaearchi Tripoliticum, libro secundo, ut infra videbimus, Polybianam historiam sequeretur. Dicaearchus autem, quae de permutationibus rerum publicarum Aristoteles Polit. VIII (V), 12 tradidit, in mente habuisse videtur.

Postquam Cicero demonstravit quam fluxa et parum stabilia rerum publicarum genera sint separata ac simplicia et quam facile unum transeat in aliud quoddam, quartum ex tribus illis probabilibus genus compositum laudat (c. 29): ‚itaque quartum quoddam genus rei publicae maxime probandum esse sentio, quod est ex his, quae prima dixi, moderatum et permixtum tribus'.[2] quam formam Polybius quoque ceteris praefert l. VI, 3, 7: *δῆλον γὰρ ὡς ἀρίστην μὲν ἡγητέον πολιτείαν τὴν ἐκ πάντων τῶν προειρημένων ἰδιωμάτων συνεστῶσαν.* id iam Archytas et Hippodamus Pythagorei monuerunt, deinde accuratius de permixto genere Plato et inprimis Aristoteles disseruerunt, quos Tullium neglexisse Zell in scriptis supra laudatis satis comprobat. et ne Polybium quidem Tullii auctorem statuerim, quod sine causa ulla id genus optimum praedicat, postquam tria rerum publicarum genera probabilia protulit. hanc ob causam, quod iam saepius feci, utrumque *τὸ εἶδος πολιτείας Δικαιαρχικόν*, uti Photio auctore permixtum ex tribus genus dictum est, cum Dicaearcho omnium optimam rei publicae formam iudicasse persuasum habeo. Accuratius hoc de genere infra (c. 45) disseritur.

Capite 30 quaestio sub examen vocatur, quod e tribus rerum publicarum generibus probabilibus optimum sit iudicandum. quam quaestionem nemo priorum scriptorum, quoad

1) conf. etiam VI, 3, 1. 2. ib. 4, 11—13.
2) cf. I, 35, 54. 45, 69. II, 23, 41.

video, tali modo instituit, quamquam saepius ex Platonis Aristotelisque libris politicis sententiae cum Ciceronis comparari possunt. itaque nisi forte Tullium Theophrastus adiuverit, qui comparatis finn. bon. et mal. V, 4, 11 quaesivit ‚qui esset optimus rei publicae status' ex suo ingenio atque ex memoria sua nostrum hac de re disputasse putaverim. nam haud pauca Tullium libris nostris tali modo inseruisse docent verba (I c. 22): ‚peto a vobis ut me sic audiatis, neque ut omnino expertem Graecarum rerum neque ut eas nostris in hoc praesertim genere anteponentem, sed ut unum e togatis patris diligentia non inliberaliter institutum studioque discendi a pueritia incensum'. Priusquam Cicero ad rem ipsam perveniat, universam sententiam praemisit hanc: ‚talis est quaeque res publica, qualis eius aut natura aut voluntas, qui illam regit' (c. 31). accuratius de eadem re disputatur legg. III, 14, 31. 32 sic: ‚licet videre, si velis replicare memoriam temporum, qualescumque summi civitatis viri fuerint, talem civitatem fuisse; quaecumque mutatio morum in principibus exstiterit, eandem in populo secutam. idque haud paulo est verius quam quod Platoni nostro placet, qui musicorum cantibus ait mutatis mutari civitatum status: ego autem nobilium vita victuque mutato mores mutari civitatum puto; quo perniciosius de re publica merentur vitiosi principes, quod non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in civitatem, neque solum obsunt, quod ipsi corrumpuntur, sed etiam quod corrumpunt plusque exemplo quam peccato nocent'. quae esse Platonica Cicero ait anno natali huius de rep. operis in ep. ad fam. I, 9, 12: ‚erant praeterea haec animadvertenda in civitate, quae sunt apud Platonem nostrum scripta divinitus, quales in re publica principes essent, talis reliquos solere esse civis'. verba autem Platonis sunt (legg. IV p. 711 C): *μηδεὶς ἡμᾶς πειθέτω, ὦ φίλοι, ἄλλῃ θᾶττον καὶ ῥᾷον μεταβάλλειν ἄν ποτε πόλιν τοὺς νόμους, ἢ τῇ τῶν δυναστευόντων ἡγεμονίᾳ.*

Ex tribus rerum publicarum generibus primam Tullius popularem gubernationem tractans eam laudat cap. 31 propter libertatem iurisque aequitatem. ac sententiam suam exeunte cap. 32 breviter sic definit: ‚iura certe paria debent esse eorum inter se, qui sunt cives in eadem re publica. quid est enim civitas nisi iuris societas?' quam aequitatem iuris etiam

Aristoteles fundamentum putat civitatis, in qua populi potestas summa sit Polit. VI (IV), 4: *δημοκρατία μὲν οὖν ἐστὶ πρώτη μὲν ἡ λεγομένη μάλιστα κατὰ τὸ ἴσον· ἴσον γάρ φησιν ὁ νόμος ὁ τῆς τοιαύτης δημοκρατίας τὸ μηδὲν μᾶλλον ὑπερέχειν τοὺς ἀπόρους ἢ τοὺς εὐπόρους, μηδὲ κυρίους εἶναι ὁποτερουσοῦν, ἀλλ' ὁμοίους ἀμφοτέρους. εἴπερ γὰρ ἐλευθερία μάλιστά ἐστιν ἐν δημοκρατίᾳ, καθάπερ ὑπολαμβάνουσί τινες, καὶ ἰσότης, οὕτως ἂν εἴη μάλιστα, κοινωνούντων ἁπάντων μάλιστα τῆς πολιτείας ὁμοίως.* Itaque tali in civitate regnum locum habere nequit (c. 31, 47): ‚qui autem aequa potest esse (sc. libertas), omitto dicere in regno, ubi ne obscura quidem est aut dubia servitus?' et (c. 32, 48): ‚itaque et a regum et a patrum dominatione solere in libertatem rem populi vindicari, non ex liberis populis reges requiri aut potestatem atque opes optimatium'. quae sententia in Aristotelis (Polit. III, 16) verbis inesse videtur: *δοκεῖ δέ τισιν οὐδὲ κατὰ φύσιν εἶναι τὸ κύριον εἶναι πάντων τῶν πολιτῶν ἕνα, ὅπου συνέστηκεν ἐξ ὁμοίων ἡ πόλις.* ib. c. 17: *φανερὸν ὡς ἐν μὲν τοῖς ὁμοίοις καὶ ἴσοις οὔτε συμφέρον ἐστὶν οὔτε δίκαιον ἕνα κύριον εἶναι πάντων.*

Capite 32, 48: ‚si vero ius suum populi teneant, negant quicquam esse praestantius, liberius, beatius, quippe qui domini sint legum, iudiciorum, belli, pacis, foederum, capitis unius cuiusque, pecuniae: hanc unam rite rem publicam, id est rem populi, appellari putant'. quibuscum similitudinem aliquam Aristoteles [Polit. VI (IV), 14] praebet popularem civitatis statum non perfectum arbitrans nisi in populi potestate sint omnia: *τὸ μὲν οὖν* (sc. *βουλεύεσθαι*) *πάντας καὶ περὶ ἁπάντων δημοτικόν· τὴν τοιαύτην γὰρ ἰσότητα ζητεῖ ὁ δῆμος.* et in mente quidem habuit *τὸ βουλευόμενον περὶ πολέμου καὶ εἰρήνης καὶ συμμαχίας καὶ διαλύσεως, καὶ περὶ νόμων, καὶ περὶ θανάτου καὶ φυγῆς καὶ δημεύσεως, καὶ περὶ ἀρχῶν αἱρέσεως καὶ τῶν εὐθυνῶν*, quae paulo antea eodem capite commemorantur.

§ 49 legem esse civilis societatis vinculum scriptum est, quod Aristoteles contendit Polit. VI (IV), 4: *ὅπου γὰρ μὴ νόμοι ἄρχουσιν, οὐκ ἔστι πολιτεία.* In sequentibus (c. 33, 50) sermo in Lacedaemoniorum rem publicam incidit, in qua per ordinem successionis potestas ad regem pervenit: ‚quo autem modo adsequi poterat Lacedaemo illa tum, cum praestare putabatur disciplina rei publicae, ut bonis uteretur

iustisque regibus, cum esset habendus rex quicumque genere regio natus esset?[1] quod non nimis ab Aristotelis sententia abhorret Lacedaemoniorum cum Carthaginiensium constitutione comparantis Polit. II, 11: *βέλτιον δὲ τοὺς βασιλεῖς μήτε κατὰ τὸ αὐτὸ εἶναι γένος μηδὲ τοῦτο τὸ τυχὸν εἴ τι διαφέρον ἐκ τούτων αἱρετοὺς μᾶλλον ἢ καθ᾽ ἡλικίαν, μεγάλων γὰρ κύριοι καθεστῶτες, ἂν εὐτελεῖς ὦσι, μεγάλα βλάπτουσι καὶ ἔβλαψαν ἤδη τὴν πόλιν τὴν τῶν Λακεδαιμονίων.*

Jam de rei publicae statu agitur, in qua penes delectos omnium summa potestas est. in hac civitatis forma in primis cavendum est, ne cuilibet rerum publicarum administratio deferatur, nam ‚si fortuito id faciet, tam cito evertetur quam navis, si e vectoribus sorte ductus ad gubernacula accesserit‘ (c. 34, 51). similiter Plato (reip. VIII p. 551 C) cum navis imagine dicit rem publicam detrimentum capere nisi optimus gubernaculum teneat: *εἰ νεῶν οὕτω τις ποιοῖτο κυβερνήτας ἀπὸ τιμημάτων, τῷ δὲ πένητι, εἰ καὶ κυβερνητικώτερος εἴη, μὴ ἐπιτρέποι. Πονηράν, ἦ δ᾽ ὅς, τὴν ναυτιλίαν αὐτοὺς ναυτίλλεσθαι. Οὐκοῦν καὶ περὶ ἄλλου οὕτως ὁτουοῦν [ἤ τινος] ἀρχῆς; Οἶμαι ἔγωγε. Πλὴν πόλεως, ἦν δ᾽ ἐγώ, ἢ καὶ πόλεως πέρι; Πολύ γ᾽, ἔφη, μάλιστα, ὅσῳ χαλεπωτάτη καὶ μεγίστη ἡ ἀρχή.* Itaque, cui patriae salus curae est, is providebit, ut optimi in civitate principatum obtineant ‚praesertim cum hoc natura tulerit, non solum ut summi virtute et animo praeesse inbecillioribus, sed ut hi etiam parere summis velint‘ (c. 34, 51). qua de re cum Plato tum praecipue Aristoteles verba fecerunt, ex cuius Politicorum libris confer IV (VII), 3: *κἂν ἄλλος τις ᾖ κρείττων κατ᾽ ἀρετὴν καὶ κατὰ δύναμιν τὴν πρακτικὴν τῶν ἀρίστων, τούτῳ καλὸν ἀκολουθεῖν καὶ τούτῳ πείθεσθαι δίκαιον.* ib. I, 2: *τὸ μὲν γὰρ δυνάμενον τῇ διανοίᾳ προορᾶν ἄρχον φύσει καὶ δεσπόζον φύσει, τὸ δὲ δυνάμενον ταῦτα τῷ σώματι ποιεῖν ἀρχόμενον φύσει καὶ δοῦλον.* ib. I, 6: *δεῖ τὸ βέλτιον κατ᾽ ἀρετὴν ἄρχειν καὶ δεσπόζειν.* At saluti civitatis timendum est, si ‚opulentos homines et copiosos et genere nobili natos esse optimos putant‘ (§ 51). nam hoc si fit in oligarchiam optimatium status degenerat, ut Aristoteles nos monet Polit. III, 8: *ἀναγκαῖον*

---

1) cf. II, 12, 24: ‚fugit Lacedaemonium Lycurgum, qui regem non diligendum duxit, si modo hoc in Lycurgi potestate potuit esse, sed habendum, qualiscumque is foret, qui modo esset Herculis stirpe generatus‘.

μέν, ὅπου ἂν ἄρχωσι διὰ πλοῦτον ἄν τ' ἐλάττους ἄν τε πλείους, εἶναι ταύτην ὀλιγαρχίαν.

In fine cap. 34 Cicero Scipionem sententias eorum proferentem inducit, qui optimatium statum propterea laudant, quod in tali civitate quisque pro dignitate honoretur neque deteriores tantidem aestimentur quanti optimi: ‚nam aequabilitas quidem iuris, quam amplexantur liberi populi, neque servari potest . . . . eaque, quae appellatur aequabilitas iniquissimast: cum enim par habetur honos summis et infimis, qui sint in omni populo necesse est, ipsa aequitas iniquissimast; quod in iis civitatibus, quae ab optimis reguntur, accidere non potest‘. quam sententiam apud Platonem habemus legg. VI p. 757 B—C: *τὴν δὲ ἀληθεστάτην καὶ ἀρίστην ἰσότητα οὐκέτι ῥᾴδιον παντὶ ἰδεῖν. Διὸς γὰρ δὴ κρίσις ἐστί· καὶ τοῖς ἀνθρώποις ἀεὶ σμικρὰ μὲν ἐπαρκεῖ· πᾶν δὲ ὅσον ἂν ἐπαρκέσῃ πόλεσιν ἢ καὶ ἰδιώταις, πάντ' ἀγαθὰ ἀπεργάζεται. τῷ μὲν γὰρ μείζονι πλείω, τῷ δὲ ἐλάττονι σμικρότερα νέμει, μέτρια διδοῦσα πρὸς τὴν αὐτῶν φύσιν ἑκατέρῳ. καὶ δὴ καὶ τιμὰς μείζοσι μὲν πρὸς ἀρετὴν ἀεὶ μείζους· τοῖς δὲ τοὐναντίον ἔχουσιν ἀρετῆς τε καὶ παιδείας τὸ πρέπον ἑκατέροις ἀπονέμει κατὰ λόγον.* deinde audiendus est Aristoteles Polit. III, 9: *δοκεῖ ἴσον τὸ δίκαιον εἶναι, καὶ γὰρ ἔστιν, ἀλλ' οὐ πᾶσιν, ἀλλὰ τοῖς ἴσοις· καὶ τὸ ἄνισον δοκεῖ δίκαιον εἶναι· καὶ ἔστιν, ἀλλ' οὐ πᾶσιν ἀλλὰ τοῖς ἀνίσοις.* denique Isocrates in Nicocle § 14: *περὶ μὲν οὖν τῶν πολιτειῶν, ἐντεῦθεν γὰρ ὑποτιθέμενος ἠρξάμην, οἶμαι πᾶσι δοκεῖν δεινότατον μὲν εἶναι τὸ τῶν αὐτῶν ἀξιοῦσθαι τοὺς χρηστοὺς καὶ τοὺς πονηρούς, δικαιότατον δὲ τὸ διωρίσθαι περὶ τούτων καὶ μὴ τοὺς ἀνομοίους τῶν ὁμοίων τυγχάνειν, ἀλλὰ καὶ πράττειν καὶ τιμᾶσθαι κατὰ τὴν ἀξίαν ἑκάστους.*

Restat regale rei publicae genus, quod secundum Ciceronis sententiam et optimatium et populi civitatis generi praestat (c. 35, 54): ‚si unum ac simplex [pro]bandum [sit] regium [pro]bem‘, deinde (c. 45, 69): ‚[ex] tribus primis generibus longe praestat mea sententia regium‘, quod iam confirmat Plato in Politico § 302 E: *μοναρχία τοίνυν . . . . ἀρίστη πασῶν τῶν ἕξ* et in eodem cum prioribus conexu Isocrates in Nicocle § 15: *αἱ δὲ μοναρχίαι πλεῖστον μὲν νέμουσι τῷ βελτίστῳ.* Et primum quidem hoc genus praeferendum ceteris est, quod etiam caelestes uni parere dicuntur (c. 36, 56): ‚haec ad utilitatem vitae

constituta sunt a principibus rerum publicarum, ut rex putaretur unus esse in caelo, qui nutu, ut ait, totum Olympum converteret idemque et rex et pater haberetur omnium, magna auctoritas est multique testes, si quidem omnis multos appellari placet, ita consensisse gentis, decretis videlicet principum, nihil esse rege melius, quoniam deos omnis censent unius regi numine: sive haec in errore inperitorum posita esse et fabularum similia didicimus, audiamus communis quasi doctores eruditorum hominum, qui tamquam oculis illa viderunt, quae nos vix audiendo cognoscimus‘. quibuscum ex Isocratis Nicocle § 26 apte comparantur haec: *λέγεται καὶ τοὺς θεοὺς ὑπὸ Διὸς βασιλεύεσθαι. περὶ ὧν εἰ μὲν ἀληθὴς ὁ λόγος ἐστί, δῆλον ὅτι κἀκεῖνοι ταύτην τὴν κατάστασιν προκρίνουσιν, εἰ δὲ τὸ μὲν σαφὲς μηδεὶς οἶδεν, αὐτοὶ δ᾽ εἰκάζοντες οὕτω περὶ αὐτῶν ὑπειλήφαμεν, σημεῖον ὅτι πάντες τὴν μοναρχίαν προτιμῶμεν· οὐ γὰρ ἄν ποτ᾽ αὐτῇ χρῆσθαι τοὺς θεοὺς ἔφαμεν, εἰ μὴ πολὺ τῶν ἄλλων αὐτὴν προέχειν ἐνομίζομεν.* Deinde regale civitatis genus rei domesticae usu commendatur (c. 39). ita enim Scipio et Laelius inter se disputant: ‚quid domi? pluresne praesunt negotiis tuis?‘ ‚immo vero unus‘ inquit. ‚quid? totam domum num quis alter praeter te regit? minime vero‘. ‚quin tu igitur concedis idem in re publica, singulorum dominatus, si modo iusti sint, esse optimos?‘ simile quidquam praebet Aristoteles Polit. III, 14: *ὥσπερ γὰρ ἡ οἰκονομικὴ βασιλεία τις οἰκίας ἐστίν, οὕτως ἡ βασιλεία πόλεως καὶ ἔθνους ἑνὸς ἢ πλειόνων οἰκονομία.* Denique quod in bellis gerendis optime penes unum summum imperium sit, regia rei publicae administratio laudatur (c. 40). et exempli gratia Cicero suo more Romanam rem publicam praedicat, ubi in bello omnes consulibus ut regibus paruerint et in gravioribus bellis etiam uni i. e. dictatori summum imperium delatum sit.

Hoc autem optimum rei publicae genus in perniciosissimum transit, si rex imperio abutitur (c. 42): ‚cum rex iniustus esse coepit, perit illud ilico genus, et est idem ille tyrannus, deterrimum genus et finitimum optimo‘. sic Plato duo genera imperii, quod ab uno sustinetur distinxit reip. IX p. 576 E: *δῆλον παντί, ὅτι τυραννουμένης* (sc. *πόλεως*) *μὲν οὐκ ἔστιν ἀθλιωτέρα, βασιλευομένης δὲ οὐκ εὐδαιμονεστέρα.* neque discrepat Aristoteles Polit. IV, 2: *ἀνάγκη γὰρ τὴν μὲν τῆς*

πρώτης καὶ θειοτάτης παρέκβασιν εἶναι χειρίστην, τὴν δὲ βασιλείαν ἀναγκαῖον ἢ τοὔνομα μόνον ἔχειν οὐκ οὖσαν, ἢ διὰ πολλὴν ὑπεροχὴν εἶναι τὴν τοῦ βασιλεύοντος· ὥστε [καὶ] τὴν τυραννίδα χειρίστην οὖσαν πλεῖστον ἀπέχειν πολιτείας. Num in his quae Cicero cc. 30—42 exposuit, de Platone, de Aristotele, de Isocrate cogitandum sit, eo magis dubitare licet, quia singulae tantum sententiae diversis locis dispersae comparari potuerunt. capitibus sequentibus, ubi re vera Platonem secutus est, auctorem suum nominatim attulit: ‚apud Platonem est luculente dictum, si modo id exprimere latine potuero; difficile factu est, sed conabor tamen‘. et disseritur quidem de civitatis statu, in quo vulgus principatum tenet sic:

Plat. reip. VIII p. 562 D — 566 B:

ὅταν, οἶμαι, δημοκρατουμένη πόλις ἐλευθερίας διψήσασα κακῶν οἰνοχόων προστατούντων τύχῃ, καὶ πορρωτέρω τοῦ δέοντος ἀκράτου αὐτῆς μεθυσθῇ, τοὺς ἄρχοντας δή, ἂν μὴ πάνυ πρᾶοι ὦσι καὶ πολλὴν παρέχωσι τὴν ἐλευθερίαν, κολάζει αἰτιωμένη ὡς μιαρούς τε καὶ ὀλιγαρχικούς. Δρῶσι γάρ, ἔφη, τοῦτο. Τοὺς δέ γε, εἶπον, τῶν ἀρχόντων κατηκόους προπηλακίζει ὡς ἐθελοδούλους τε καὶ οὐδὲν ὄντας, τοὺς δὲ ἄρχοντας μὲν ἀρχομένοις, ἀρχομένους δὲ ἄρχουσιν ὁμοίους ἰδίᾳ τε καὶ δημοσίᾳ ἐπαινεῖ τε καὶ τιμᾷ. ἆρ᾽ οὐκ ἀνάγκη ἐν τοιαύτῃ πόλει ἐπὶ πᾶν τὸ τῆς ἐλευθερίας ἰέναι; Πῶς γὰρ οὔ; καὶ καταδύεσθαί γε, ἦν δ᾽ ἐγώ, ὦ φίλε, εἴς τε τὰς ἰδίας οἰκίας καὶ τελευτᾶν μέχρι τῶν θηρίων τὴν ἀναρχίαν ἐμφυομένην. Πῶς, ἦ δ᾽ ὅς, τὸ τοιοῦτον λέγομεν; Οἷον, ἔφην, πατέρα μὲν ἐθίζεσθαι παιδὶ

Cic. reip. I cc. 43. 44:

cum enim, inquit, inexplebiles populi fauces exaruerunt libertatis siti malisque usus ille ministris non modice temperatam, sed nimis meracam libertatem sitiens hausit, tum magistratus et principes, nisi valde lenes et remissi sint et large sibi libertatem ministrent, insequitur, insimulat, arguit; praepotentis, reges, tyrannos vocat. puto enim tibi haec esse nota‘. ‚vero mihi‘ inquit ille ‚notissima‘. ‚ergo illa sequuntur: eos, qui pareant principibus, agitari ab eo populo et servos voluntarios appellari; eos autem, qui in magistratu privatorum similes esse velint, eosque privatos, qui efficiant ne quid inter privatum et magistratum differat, ferunt laudibus et mactant honoribus, ut necesse sit in eius modi re publica plena libertatis esse omnia, ut et

ὅμοιον γίγνεσθαι καὶ φοβεῖσθαι τοὺς υἱεῖς, υἱὸν δὲ πατρί, καὶ μήτε αἰσχύνεσθαι μήτε δεδιέναι τοὺς γονέας, ἵνα δὴ ἐλεύθερος ᾖ· μέτοικον δὲ ἀστῷ καὶ ἀστὸν μετοίκῳ ἐξισοῦσθαι, καὶ ξένον ὡσαύτως. — διδάσκαλός τε ἐν τῷ τοιούτῳ φοιτητὰς φοβεῖται καὶ θωπεύει, φοιτηταί τε διδασκάλων ὀλιγωροῦσιν, οὕτω δὲ καὶ παιδαγωγῶν· καὶ ὅλως οἱ μὲν νέοι πρεσβυτέροις ἀπεικάζονται καὶ διαμιλλῶνται καὶ ἐν λόγοις καὶ ἐν ἔργοις, οἱ δὲ γέροντες ξυγκαθιέντες τοῖς νέοις εὐτραπελίας τε καὶ χαριεντισμοῦ ἐμπίπλανται, μιμούμενοι τοὺς νέους, ἵνα δὴ μὴ δοκῶσιν ἀηδεῖς εἶναι μηδὲ δεσποτικοί. Πάνυ μὲν οὖν, ἔφη. Τὸ δέ γε, ἦν δ' ἐγώ, ἔσχατον, ὦ φίλε, τῆς ἐλευθερίας τοῦ πλήθους, ὅσον γίγνεται ἐν τῇ τοιαύτῃ πόλει, ὅταν δὴ οἱ ἐωνημένοι καὶ αἱ ἐωνημέναι μηδὲν ἧττον ἐλεύθεροι ὦσι τῶν πριαμένων. ἐν γυναιξὶ δὲ πρὸς ἄνδρας καὶ ἀνδράσι πρὸς γυναῖκας ὅση ἡ ἰσονομία καὶ ἐλευθερία γίγνεται, ὀλίγου ἐπελαθόμεθ' εἰπεῖν. — ἀτεχνῶς γὰρ αἵ τε κύνες κατὰ τὴν παροιμίαν οἷαίπερ αἱ δέσποιναι γίγνονταί τε δὴ καὶ ἵπποι καὶ ὄνοι, πάνυ ἐλευθέρως καὶ σεμνῶς εἰθισμένοι πορεύεσθαι, κατὰ τὰς ὁδοὺς ἐμβάλλοντες τῷ ἀεὶ ἀπαντῶντι, ἐὰν μὴ ἐξίστηται· καὶ τἆλλα πάντα οὕτω μεστὰ ἐλευθερίας γίγνεται. —

privata domus omnis vacet dominatione et hoc malum usque ad bestias perveniat, denique ut pater filium metuat, filius patrem neglegat, absit omnis pudor, ut plane liberi sint, nihil intersit civis sit an peregrinus; magister ut discipulos metuat et iis blandiatur spernantque discipuli magistros, adulescentes ut senum sibi pondus adsumant, senes autem ad ludum adulescentium descendant, ne sint iis odiosi et graves: ex quo fit ut etiam servi se liberius gerant, uxores eodem iure sint quo viri inque tanta libertate canes etiam et equi, aselli denique liberi sic incurrant, ut iis de via decedendum sit.

Τὸ δὲ δὴ κεφάλαιον, ἦν δ᾽ ἐγώ, πάντων τούτων ξυνηθροισμένων ἐννοεῖς, ὡς ἁπαλὴν τὴν ψυχὴν τῶν πολιτῶν ποιεῖ, ὥστε κἂν ὁτιοῦν δουλείας τις προσφέρηται, ἀγανακτεῖν καὶ μὴ ἀνέχεσθαι; τελευτῶντες γάρ που οἶσθ᾽ ὅτι οὐδὲ τῶν νόμων φροντίζουσι γεγραμμένων ἢ ἀγράφων, ἵνα δὴ μηδαμῇ μηδεὶς αὐτοῖς ᾖ δεσπότης.

ergo ex hac infinita, inquit, licentia haec summa cogitur, ut ita fastidiosae mollesque mentes evadant civium, ut, si minima vis adhibeatur imperii, irascantur et perferre nequeant; ex quo leges quoque incipiunt neglegere, ut plane sine ullo domino sint‘.

αὕτη μὲν τοίνυν, ἦν δ᾽ ἐγώ, ὦ φίλε, ἡ ἀρχὴ οὑτωσὶ καλὴ καὶ νεανική, ὅθεν τυραννὶς φύεται, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ. Νεανικὴ δῆτα, ἔφη· ἀλλὰ τί τὸ μετὰ τοῦτο; Ταὐτόν, ἦν δ᾽ ἐγώ, ὅπερ ἐν τῇ ὀλιγαρχίᾳ νόσημα ἐγγενόμενον ἀπώλεσεν αὐτήν, τοῦτο καὶ ἐν ταύτῃ πλέον τε καὶ ἰσχυρότερον ἐκ τῆς ἐξουσίας ἐγγενόμενον καταδουλοῦται δημοκρατίαν.

§ 68: ex hac nimia licentia, quam illi solam libertatem putant, ait ille ut ex stirpe quadam exsistere et quasi nasci tyrannum; nam ut ex nimia potentia principum oritur interitus principum, sic hunc nimis liberum populum libertas ipsa servitute adficit.

καὶ τῷ ὄντι τὸ ἄγαν τι ποιεῖν μεγάλην φιλεῖ εἰς τοὐναντίον μεταβολὴν ἀνταποδιδόναι, ἐν ὥραις τε καὶ ἐν φυτοῖς καὶ ἐν σώμασι, καὶ δὴ καὶ ἐν πολιτείαις οὐχ ἥκιστα. Εἰκός, ἔφη. Ἡ γὰρ ἄγαν ἐλευθερία ἔοικεν οὐκ εἰς ἄλλο τι ἢ εἰς ἄγαν δουλείαν μεταβάλλειν καὶ ἰδιώτῃ καὶ πόλει. Εἰκὸς γάρ. Εἰκότως τοίνυν, εἶπον, οὐκ ἐξ ἄλλης πολιτείας τυραννὶς καθίσταται ἢ ἐκ δημοκρατίας, ἐξ οἶμαι τῆς ἀκροτάτης ἐλευθερίας δουλεία πλείστη τε καὶ ἀγριωτάτη.

sic omnia nimia, cum vel in tempestate vel in agris vel in corporibus laetiora fuerunt, in contraria fere convertuntur maximeque [id] in rebus publicis evenit, nimiaque illa libertas et populis et privatis in nimiam servitutem cedit; itaque ex hac maxima libertate tyrannus gignitur et illa iniustissima et durissima servitus.

[p. 565 D]: τοῦτο μὲν ἄρα δῆλον, ὅτι, ὅταν περ φύηται

ex hoc enim populo indomito vel potius inmani deli-

τύραννος, ἐκ προστατικῆς ῥίζης καὶ οὐκ ἄλλοθεν ἐκβλαστάνει. — καὶ ὃς ἂν δήμου προεστώς, λαβὼν σφόδρα πειθόμενον ὄχλον, μὴ ἀπόσχηται ἐμφυλίου αἵματος, ἀλλ᾽ ἀδίκως ἐπαιτιώμενος, οἷα δὴ φιλοῦσιν, εἰς δικαστήρια ἄγων μιαιφονῇ, βίον ἀνδρὸς ἀφανίζων, γλώττῃ τε καὶ στόματι ἀνοσίῳ γευόμενος φόνου ξυγγενοῦς, καὶ ἀνδρηλατῇ καὶ ἀποκτιννύῃ καὶ ὑποσημαίνῃ χρεῶν τε ἀποκοπὰς καὶ γῆς ἀναδασμόν κτέ. [p. 566 B]: *Τὸ δὴ τυραννικὸν αἴτημα τὸ πολυθρύλητον ἐπὶ τούτῳ πάντες οἱ εἰς τοῦτο προβεβηκότες ἐξευρίσκουσιν, αἰτεῖν τὸν δῆμον φύλακάς τινας τοῦ σώματος, ἵνα σῶς αὐτοῖς ᾖ ὁ τοῦ δήμου βοηθός.*

gitur aliqui plerumque dux contra illos principes adflictos iam et depulsos loco, audax, inpurus, consectans proterve bene saepe de re publica meritos, populo gratificans et aliena et sua; cui quia privato sunt oppositi timores, dantur imperia et ea continuantur, praesidiis etiam, ut Athenis Pisistratus, saepiuntur.

Et Ciceroni genus orationis Platonicae imitari difficile fuisse aliquot exemplis placet demonstrare: initio liberius quidem sed satis ingeniose pro *ὅταν δημοκρατουμένη πόλις ἐλευθερίας διψήσασα* . . . (quando civitas populari imperio utens libertatem sitiens . . .) verba statuit ‚cum inexplebiles populi fauces exaruerunt libertatis siti‘, deinde verba ‚non modice temperatam‘ ex suo ingenio addidit et pro *μεθυσθῇ* (ebria est) posuit ‚sitiens hausit‘. non magis accurate verba *ὡς μιαρούς τε καὶ ὀλιγαρχικούς* (velut scelestos et paucorum imperii studiosos) vertit ‚praepotentis, reges, tyrannos‘. in verbis sequentibus *ἰδίᾳ τε καὶ δημοσίᾳ ἐπαινεῖ τε καὶ τιμᾷ* (privatim et publice laudat atque honorat) omisit exprimere *ἰδίᾳ τε καὶ δημοσίᾳ.* tum secundum Platonem populus libertatem sitiens laudibus ecfert *τοὺς ἄρχοντας μὲν ἀρχομένοις, ἀρχομένους δὲ ἄρχουσιν ὁμοίους* (principes subditis pares et subditos pares principibus), secundum Ciceronem ‚eos, qui in magistratu privatorum similes esse velint, eosque privatos, qui efficiant ne quid inter privatum et magistratum differat‘. Plato pergit: *ἆρ᾽ οὐκ ἀνάγκη — καταδύεσθαι γε εἴς τε τὰς ἰδίας οἰκίας καὶ τελευτᾶν μέχρι τῶν*

θηρίων τὴν ἀναρχίαν ἐμφυομένην; (nonne opus est — irrepere in privatas domus et pervenire ad bestias hanc licentiam insitam?), quae verba Cicero apte sed satis libere expressit sic: ‚ut et privata domus omnis vacet dominatione et hoc malum usque ad bestias perveniat‘ verbum *ἐμφυομένην* prorsus neglegens. quibus expositis Plato addidit tali in civitate *πατέρα μὲν ἐθίζεσθαι παιδὶ ὅμοιον γίγνεσθαι*, quam sententiam Cicero non vertit. deinde ille contendit tali in civitate *υἱὸν μήτε αἰσχύνεσθαι μήτε δεδιέναι τοὺς γονέας* (filium neque vereri parentes neque metuere), quod Ciceronis verba volunt dicere: ‚ut filius patrem neglegat, absit omnis pudor‘. minoris est momenti, quod in sequentibus Plato discrimen fecit inter *μέτοικον* (inquilinum) et *ξένον* (peregrinum), deinde inter *διδασκάλους* et *παιδαγωγούς*, Cicero autem de peregrinis et magistris solis agit. jam de senibus et adulescentibus uterque disserit. qua in re Cicero verba *οἱ μὲν νέοι πρεσβυτέροις ἀπεικάζονται* apte expressit ‚adulescentes ut senum sibi pondus adsumant‘, neglexit autem verba *καὶ διαμιλλῶνται καὶ ἐν λόγοις καὶ ἐν ἔργοις*. in iis quae restant, etiam minus accurate verba singula quam sententias reddidit. sic quod senes tali in civitate faciunt his verbis noster dicit: ‚senes autem ad ludum adulescentium descendant‘ cum Platone haec praebente: *οἱ δὲ γέροντες συγκαθιέντες τοῖς νέοις εὐτραπελίας τε καὶ χαριεντισμοῦ ἐμπίπλανται, μιμούμενοι τοὺς νέους*. eadem ratione pergit Cicero: ‚ex quo fit, ut etiam servi se liberius gerant‘, quamquam proposita erant verba *τὸ δέ γε ἔσχατον τῆς ἐλευθερίας τοῦ πλήθους, ὅσον γίγνεται ἐν τῇ τοιαύτῃ πόλει, ὅταν δὴ οἱ ἐωνημένοι καὶ αἱ ἐωνημέναι μηδὲν ἧττον ἐλεύθεροι ὦσι τῶν πριαμένων*. etiam de libertate mulierum atque de insolentia bestiarum mira brevitate Cicero loquitur. accuratissime autem Platonem vertit ista licentia animum hominis corrumpi ostendentem. capite proximo Platonem noster, ut profitetur, sic pergit imitari: ‚ex hac nimia licentia, quam illi solam libertatem putant, ait ille (i. e. Plato) ut ex stirpe quadam exsistere et quasi nasci tyrannum‘. qua in re magis verba quam sententia ipsa a Platone distant haec scribente: *αὕτη μὲν τοίνυν ἡ ἀρχὴ οὑτωσὶ καλὴ καὶ νεανική, ὅθεν τυραννὶς φύεται*. fortasse Cicero simul in mente habuit, quae apud Platonem scripta sunt p. 565 D: *τοῦτο μὲν ἄρα δῆλον, ὅτι, ὅταν περ φύηται τύραννος,*

ἐκ προστατικῆς ῥίζης καὶ οὐκ ἄλλοθεν ἐκβλαστάνει, e quibus Cicero vocem stirpis (*ῥίζα*) mutuatus esse videtur. neglegentissime sunt versa, quae extrema de tyrannorum more Cicero cum Platone disseruit, nisi forte putandum est ex memoria ea esse tradita. nam istic tyrannus appellatur ‚audax, inpurus, consectans proterve bene saepe de re publica meritos', Plato autem scelera ipsa accuratius protulit, propter quae tyrannus ita significari potest. quibus perspectis hoc ante omnia constat Ciceronem his duobus capitibus, ubi dedita opera auctorem suum secutus est, non anxie verba Platonis ursisse, sed nihil nisi sententias reddidisse.

Postquam simplices rerum publicarum formas earumque permutationes Cicero tractavit, id genus, quod omnium optimum est, permixtum atque compositum accuratius descripsit. et primum quidem fusius quam supra factum est, repetit, quomodo de optima civitatis forma cogitandum sit (c. 45, 69): ‚placet enim esse quiddam in re publica praestans et regale, esse aliud auctoritati principum inpartitum ac tributum, esse quasdam res servatas iudicio voluntatique multitudinis'. quibuscum optime ea concinunt quae de permixto Romanae civitatis genere in excerptis Polybianae historiae sunt servata (l. VI, 11, 11. 12): *Ἦν μὲν δὴ τρία μέρη τὰ κρατοῦντα τῆς πολιτείας, ἅπερ εἶπα πρότερον ἅπαντα· οὕτως δὲ πάντα κατὰ μέρος ἴσως καὶ πρεπόντως συνετέτακτο καὶ διῳκεῖτο διὰ τούτων ὥστε μηδένα ποτ' ἂν εἰπεῖν δύνασθαι βεβαίως, μηδὲ τῶν ἐγχωρίων, πότερ' ἀριστοκρατικὸν τὸ πολίτευμα σύμπαν ἢ δημοκρατικὸν ἢ μοναρχικόν. καὶ τοῦτ' εἰκὸς ἦν πάσχειν. ὅτε μὲν γὰρ εἰς τὴν τῶν ὑπάτων ἀτενίσαιμεν ἐξουσίαν, τελείως μοναρχικὸν ἐφαίνετ' εἶναι καὶ βασιλικόν, ὅτε δ' εἰς τὴν τῆς συγκλήτου, πάλιν ἀριστοκρατικόν· καὶ μὴν εἰ τὴν τῶν πολλῶν ἐξουσίαν θεωροίη τις, ἐδόκει σαφῶς εἶναι δημοκρατικόν.*

Deinde noster in disputando pergit studetque probare hoc permixtum genus praeter cetera et aequabilitatem et firmitatem habere nec facile posse perturbari: ‚quod et illa prima facile in contraria vitia convertuntur, ut exsistat ex rege dominus, ex optimatibus factio, ex populo turba et confusio, quodque ipsa genera generibus saepe conmutantur novis, hoc in hac iuncta moderateque permixta conformatione rei publicae non ferme sine magnis principum vitiis evenit; non est enim causa conversionis, ubi in suo quisque

est gradu firmiter conlocatus et non subest quo praecipitet ac decidat'. eandem laudem Polybius, postquam demonstravit quam non stabilia rerum publicarum genera sint simplicia, tali modo compositae civitatis formae tribuit l. VI, 10 §§ 4—7: *τῶν πολιτειῶν συγγεννᾶται κατὰ φύσιν ἑκάστῃ καὶ παρέπεταί τις κακία, βασιλείᾳ μὲν ὁ μοναρχικὸς λεγόμενος τρόπος, ἀριστοκρατίᾳ δὲ ὁ τῆς ὀλιγαρχίας, δημοκρατίᾳ δ' ὁ θηριώδης καὶ χειροκρατικός, εἰς οὓς οὐχ οἷόν τε μὴ οὐ πάντα τὰ προειρημένα σὺν χρόνῳ ποιεῖσθαι τὰς μεταστάσεις κατὰ τὸν ἄρτι λόγον. ἃ προϊδόμενος Λυκοῦργος οὐχ ἁπλῆν οὐδὲ μονοειδῆ συνεστήσατο τὴν πολιτείαν, ἀλλὰ πάσας ὁμοῦ συνήθροιζε τὰς ἀρετὰς καὶ τὰς ἰδιότητας τῶν ἀρίστων πολιτευμάτων, ἵνα μηδὲν αὐξανόμενον ὑπὲρ τὸ δέον εἰς τὰς συμφυεῖς ἐκτρέπηται κακίας, ἀντισπωμένης δὲ τῆς ἑκάστου δυνάμεως ὑπ' ἀλλήλων μηδαμοῦ νεύῃ μηδ' ἐπὶ πολὺ καταρρέπῃ μηδὲν αὐτῶν, ἀλλ' ἰσορροποῦν καὶ ζυγοστατούμενον [ἐπὶ πολὺ] διαμένῃ κατὰ τὸν τῆς ἀντιπλοίας λόγον ἀεὶ τὸ πολίτευμα κτἑ.* Lacedaemoniorum civitatem, cuius Polybius l. a. mentionem fecit, eadem de causa Cicero (II c. 23) laudat: ‚Statuo esse optime constitutam rem publicam, quae ex tribus generibus illis, regali et optumati et populari confusa modice nec puniendo irritet animum inmanem ac ferum' .... (quae verba Nonius s. v. modicum p. 342 ex secundo de re publica libro Tulliano excerpsit) ...... ‚et antiquissimus ille Lycurgus eadem vidit fere'. Similia de Lycurgi re publica etiam Plato (legg. IV p. 712) et Aristoteles (Polit. II, 6) scripserunt. attamen Ciceronem omnia, quae de permixto rei publicae gerere in politicis suis libris occurrant, Dicaearcho debuisse non est quod negemus.

Ut viam ad librum secundum Tullius sibi muniat, ubi cum Polybio de re publica Romana disputasse videtur, constitutionem civitatis Romanae omnium optimam esse contendit (c. 46, 70): ‚sic enim decerno, sic sentio, sic adfirmo, nullam omnium rerum publicarum aut constitutione aut discriptione aut disciplina conferendam esse cum ea, quam patres nostri nobis acceptam iam inde a maioribus reliquerunt'. non mirum igitur, quod cum Polybio (VI, 10, 14) consentit huius civitatis genus *κάλλιστον σύστημα τῶν καθ' ἡμᾶς πολιτειῶν* laudante.

LIBER II.

Hoc in libro Cicero rem publicam Romanam quasi exemplar optimae rei publicae formae proposuit, ut civitate maxima reapse cerneretur, quale esset id, quod ratio oratioque libri primi describeret (II, 39, 66). sic Polybius quoque libro sexto historiae suae rem instituit quocum hoc Tullius secundo libro fecisse videtur. id quidem probatur c. 1, 3 ubi de consilio agitur, quo noster rem publicam Romanam se tractaturum esse promittit: ,quod est propositum consequar, si nostram rem publicam vobis et nascentem et crescentem et adultam et iam firmam atque robustam ostendero' et c. 11, 21: ,videtisne igitur unius viri consilio non solum ortum novum populum . . . sed adultum iam et paene puberem?'. nam Polybius rem publicam Romanam sic describere voluit, ut perveniremus *εἰς γνῶσιν καὶ τῆς συστάσεως καὶ τῆς αὐξήσεως καὶ τῆς ἀκμῆς* (l. VI, 9, 12).

Deinde Cicero exeunte capite primo Platonem rem publicam sibi finxisse commemorat, quam sententiam accuratius expressit c. 11, 21: ,princeps ille, quo nemo in scribendo praestantior fuit, aream sibi sumpsit, in qua civitatem exstrueret arbitratu suo, praeclaram ille quidem fortasse, sed a vita hominum abhorrentem et moribus'. quae sententia inest in verbis Polybii (VI, 47 §§ 7—10): *Καὶ μὴν οὐδὲ τὴν Πλάτωνος πολιτείαν δίκαιον παρεισαγαγεῖν, ἐπειδὴ καὶ ταύτην τινὲς τῶν φιλοσόφων ἐξυμνοῦσιν, ὥσπερ γὰρ οὐδὲ τῶν τεχνιτῶν ἢ τῶν ἀθλητῶν τούς γε μὴ νενεμημένους ἢ σεσωμασκηκότας παρίεμεν εἰς τοὺς ἀθλητικοὺς ἀγῶνας, οὕτως οὐδὲ ταύτην χρὴ παρεισαγαγεῖν εἰς τὴν τῶν πρωτείων ἅμιλλαν, ἐὰν μὴ πρότερον ἐπιδείξηταί τι τῶν ἑαυτῆς ἔργων ἀληθινῶς. μέχρι δὲ τοῦ νῦν παραπλήσιος ἂν ὁ περὶ αὐτῆς φανείη λόγος ἀγομένης εἰς σύγκρισιν πρὸς τὴν*

Σπαρτιατῶν καὶ Ῥωμαίων καὶ Καρχηδονίων πολιτείαν, ὡς ἂν εἰ τῶν ἀγαλμάτων τις ἓν προθέμενος τοῦτο συγκρίνοι τοῖς ζῶσι καὶ πεπνυμένοις ἀνδράσι. καὶ γὰρ ἂν ὅλως ἐπαινετὸν ὑπάρχῃ κατὰ τὴν τέχνην, τήν γε σύγκρισιν τῶν ἀψύχων τοῖς ἐμψύχοις ἐνδεῆ καὶ τελείως ἀπεμφαίνουσαν εἰκὸς προσπίπτειν τοῖς θεωμένοις.

Capite secundo, ubi de Romae urbis primordiis Romulique regis institutionibus fit sermo, nihil cum Polybiana historia conferre possumus, cum temporum iniquitate hoc praeclarissimum opus valde mutilatum sit. nam nihil superest nisi fragmenta, quae Hultsch l. VI c. 2 collegit. nihilominus vestigia quaedam exstant, quibus Polybiana in eo esse probatur. sic ex omnibus de urbe condita vulgatis narrationibus unam tantum tradidit eamque a Livio et Dionysio ita differentem, ut ex eodem fonte cum illis Ciceronem hausisse negaverim. praeterea per se probabile est Polybium in rerum Romanarum descriptione Ciceronis auctorem fuisse, cum res, quae in illius historia ad politian spectantes erant narratae, facillime in usum suum noster convertere potuerit.

Certiore fundamento nitimur capite decimo, ubi Cicero Romam secundo olympiadis septimae anno conditam esse ait; sic enim Polybius Dionysio Halic. auctore (I, 74) Romae diem natalem statuit: *οὐ γὰρ ἠξίουν, ὡς Πολύβιος ὁ Μεγαλοπολίτης, τοσοῦτον μόνον εἰπεῖν ὅτι κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος τῆς ἑβδόμης ὀλυμπιάδος τὴν Ῥώμην ἐκτίσθαι πείθομαι, οὐδ' ἐπὶ τοῦ παρὰ τοῖς ἀρχιερεῦσι* — ut rectissime Niebuhrius coniecit — *κειμένου πίνακος ἑνὸς καὶ μόνου τὴν πίστιν ἀβασάνιστον καταλιπεῖν.* et profecto Ciceronem h. l. Polybio esse assensum ex eo apparet, quod in ceteris scriptis tertium olympiadis sextae annum accepit comparatis Solini verbis: ‚Cincio Romam duodecima olympiade placet conditam, Pictori octava, Nepoti et Lutatio opinionem Eratosthenis et Apollodori comprobantibus olympiadis septimae anno secundo Pomponio Attico et M. Tullio olympiadis sextae anno tertio'. discrepat etiam noster cum M. Porcio Catone, qui primordia urbis in primum olympiadis septimae annum cadere censuit.

Nec minus Polybii studium Tullius in sequentibus prae se fert, ubi a Lycurgi aetate usque ad novam olympiadum rationem 108 annos dinumeravit, quod Polybius fecit secundum

Eusebium[1]: τῇ δὲ εἰκοστῇ ὀγδόῃ τὸ στάδιον νικῶν Κόροιβος Ἠλεῖος ἀνεγράφη πρῶτος, καὶ ἡ ὀλυμπιὰς αὕτη πρώτη ἐτάχθη, ἀφ' ἧς Ἕλληνες ἀριθμοῦσι τοὺς χρόνους. τὰ δ' αὐτὰ τῷ Ἀριστοδήμῳ καὶ Πολύβιος ἱστορεῖ.

Quoniam autem ad numerorum rationem delapsus sum, quid de regum indice in libris de re publica adhibito statuendum sit, adiungere liceat: quod Romulum 37 annos regnasse Cicero (c. 10, 17) adnotat, ab universo rerum scriptorum iudicio non discedit, nam ii qui 38 annos scripserunt, unum interregum annum adnumerasse videntur. dissentit autem a ceteris omnibus, quod Numam regem per 39 annos regium imperium tenuisse ait c. 14, 27: ‚sic ille cum undequadraginta annos summa in pace concordiaque regnavisset — sequamur enim potissimum Polybium nostrum, quo nemo fuit in exquirendis temporibus diligentior —, excessit e vita'. quem numerum Augustinus (c. d. III, 9) e Tullii prolatis verbis servavit. nam Livius, Dionysius, Plutarchus, Solinus, Eutropius al. tradiderunt 43, Eusebius, Hieronymus al. 41 Numae regnantis annos. quamdiu Tullus Hostilius rem publicam administraverit, ex Ciceronis libris non apparet, cum loco quo id erat adnotatum, lacuna orationem interrumpat. omnes qui hac de re verba fecerunt, Tullum Hostilium per 32 annos rei publicae praefuisse consentiunt excepto Eusebio, qui 30 annos scripsit. Ancus Marcius secundum Ciceronis sententiam (c. 18, 33) per 23 annos regnavit et Eusebius, Hieronymus, Syncellus idem tradunt; dissentiunt Livius, Dionysius, Solinus, Eutropius, Zonaras per 24 annos regem eum fuisse narrantes. Tarquinium Priscum Cicero (c. 20, 36) ceterique rerum scriptores per 38 annos rebus publicis esse functum auctores sunt, nisi quod Eusebius et Hieronymus 37 annos cum imperio eum fuisse rettulerunt. quamdiu duo postremi reges ad gubernacula rei publicae sederint, certis numeris Cicero in iis quae supersunt, non definit. quod ad Servium Tullium attinet, Livius, Dionysius, Diodorus Siculus, Eusebius (chron. p. 217), Zonoras 44, Solinus 42, Eusebius (chron. p. 271) et Hieronymus (chron. p. 338) XXXIV annos — quod sine dubio est in XXXXIV corrigendum — eum

---

1) in Crameri anecd. Paris. vol. II p. 141, 17; cf. Georgium Syncellum p. 195 s., unde similem locum attulerat Sch. vol. V p. 31.

regnasse scripserunt. Tarquinium Superbum Livius, Dionysius, Solinus, Eutropius, Zonaras 25, Diodorus Siculus apud Eusebium et Hieronymus 24 annos rei publicae praefuisse memoriae prodiderunt. huc accedit, quod Cicero (c. 15, 28) olympiadem secundam et sexagesimam in idem tempus concidere contendit atque Tarquinii Superbi regni initium; dein (§ 29) centum fere et quadraginta annos a Numae regis morte usque ad Tarquinii Superbi regnantis initium dinumeravit; denique (c. 30, 52) Romae per septem reges annos 240 et paulo cum interregnis fere amplius regnatum esse legimus, quem numerum etiam Hieronymus his verbis reddidit: ‚Romanorum reges a Romulo ..... imperaverunt annos CCXL, sive ut quibusdam placet CCXLIII‘. alterum numerum Solinus, Eutropius, Augustinus, Orosius, Joannes Lydus praebent. qui unum annum, quo interreges rei publicae administrationem suscepisse dicuntur, adnumeraverunt, post annos 244 regum dominationem sublatam esse scripserunt (cf. Liv. I, 60). Ciceronem numeros allatos Polybio auctore ex vetustiore regum catalogo exhibuisse eosque omnium scriptorum optime servasse summo iure Mommsenus in libro, quem scripsit de chronologia Romana p. 134 contendit. et aliqua ex parte probatur illum etiam in notandis ceteris numeris, qui non sunt servati, Polybium esse secutum: capessivit enim Romulus rem publicam ol. 7, 2 et postquam 37 annos imperium tenuit, ol. 16, 3 (i. e. 7, 2 + 9, 1) decessit; interreges ol. 16, 3—16, 4 regnaverunt, et Numa Pompilius, qui per 39 annos principem in re publica locum obtinuit, ol. 26, 3 (i. e. 16, 4 + 9, 3) mortem obiit. ab excessu Numae usque ad initium regnantis Tarquinii Superbi, quod Polybiana ratione ol. 62, 1 factum est[1], anni 142 praeterierunt, quos fere 140 fuisse Cicero ait. hoc autem temporis spatio Tullus Hostilius, Ancus Marcius, Tarquinius Priscus, Servius Tullius reges fuerunt, inter quos Ancus Marcius per annos 23, Tarquinius Priscus annos 38 rei publicae praefuerunt. desunt igitur anni regnantis Tulli Hostilii et Servii Tullii. et Servium Tullium quidem excepto Solino omnes per annos 44 imperium tenuisse

---

1) nam id cum Polybio nostrum scripsisse arbitror, quod, ut infra videbimus, cap. 15, quo id narratur, cum eo auctore Pythagoram philosophum multo post Numam in Italia fuisse tradit.

dixerunt. si haec fuit Ciceronis sententia — neque est quod negemus — Tullo Hostilio tot annos attribuemus, quot computatis ceterorum trium regum annis desunt ex 142. desunt autem 37. Tarquinius Superbus, ut supra additum est, ol. 62, 1 clavum imperii tenere coepit, ol. 67, 3 exsulatum ivit. regnavit igitur 22 annos[1]. itaque ex Ciceronis de re publica libris regum catalogum sic restituendum esse puto:

Romulus	37	ol. 7,2—16,3
Numa	39	„ 16,4—26,3
Tullus Hostilius	37	„ 26,3—35,4
Ancus Marcius	23	„ 35,4—41,3
Tarquinius Priscus	38	„ 41,3—51,1
Servius Tullius	44	„ 51,1—62,1
Tarquinius Superbus	22	„ 62,1—67,3
	240	
Interreges	1	„ 16,3—16,4
	241	

Mommsenus vetustiorem regum indicem, secundum quam Romanorum reges annos 240 rei publicae praefuerunt, sic restituere conatus est:

Romulus	37	1—37 (a. u. c.)
Numa	(2) + 39	38—78
Tullus Hostilius	32	79—110
Ancus Marcius	23	111—133
Tarquinius Priscus	38	134—171
Servius Tullius	44	172—215
Tarquinius Superbus	25	216—240
	240	
annumerato anno, quo interreges post mortem Romuli regnabant	1	241
	241	

Neque tamen virum doctissimum recte id fecisse putaverim. tribuit enim Numae regnanti (2) + 39 = 41 annos, quod pror-

1) totidem anni supremo Romanorum regi alia computandi via sunt. dinumerantur enim ab ol. 7, 2 usque ad ol. 62, 1 anni 219, deducto uno anno, quo interreges rem publicam gubernabant, sex superioribus regibus anni 218 supersunt, Tarquinio igitur Superbo anni 22 restant (i. e. 240—218).

sus non est concedendum; deinde numeros, qui ex vetustiore regum indice non servati sunt, ex scriptoribus petiit, qui recentiore catalogo utebantur, quamquam per se probabile est Tullium a ceteris scriptoribus in numeris, quos desideramus, eodem modo discessisse atque discessit in servatis. denique mea quidem sententia vix probari potest Tulliana verba, secundum quae Tarquinii Superbi regnantis initium in ol. 62, 1 incidit, ex Fabiana ratione esse dicta.

Jam ad caput decimum, a quo hoc deverticulum fecimus, redeamus. quae in reliqua capitis parte de Homeri aetate, de Simonidis anno natali, denique de Julii Proculi ficta narratione disputantur, cum Polybii verbis comparare nequimus, attamen verisimile est Ciceronem virum Megalopolitanum auctorem habuisse, quem in antecedentibus et, ut supra vidimus, capite undecimo secutus est. In sequentibus, ubi oratio in regno Numae describendo versatur, Polybius apertis verbis auctor laudatur. comparare autem possumus verba, quibus annalium scriptores Numam aut Pythagorae ipsius discipulum aut certe Pythagoreum tradentes vituperantur c. 15, 28: ‚ea sunt enim demum non ferenda in mendacio, quae non solum ficta esse, sed ne fieri quidem potuisse cernimus‘. sic enim Polybius loquitur VI, 1, 11: *τὸ γὰρ ἀδύνατον ἐν τῷ ψεύδει μόνον οὐδ᾽ ἀπολογίαν ἐπιδέχεται τοῖς ἁμαρτάνουσι.*

Capite 16 rei publicae Romanae constitutionem naturali quadam via optimam esse factam scriptum est: ‚si progredientem rem publicam atque in optimum statum n a t u r a l i q u o d a m i t i n e r e e t c u r s u venientem videris‘, quae haud scio an ad Polybium aspirent, qui idem fere confirmat VI, 9, 13: *εἰ γάρ τινα καὶ ἑτέραν πολιτείαν, ὡς ἀρτίως εἶπα, καὶ ταύτην συμβαίνει, κ α τ ὰ φ ύ σ ι ν ἀπ᾽ ἀρχῆς ἔχουσαν τὴν σύστασιν καὶ τὴν αὔξησιν.* cf. etiam VI, 4, 13.

Postquam de Tulli Hostilii institutionibus (c. 17) disputatum est, ad Ancum Marcium (c. 18) oratio procedit, qui Polybio ut videtur auctore ‚ad ostium Tiberis urbem condidit colonisque firmavit‘, quod Polybium tradidisse Stephanus Byz. v. *Ὠστία* monet: *Πολύβιος ἕκτῳ „ἔκτισε δὲ καὶ πόλιν Ὠστίαν ἐπὶ τοῦ Τιβέριδος“.*

Inde ad Tarquinii Prisci res venimus (cc. 19. 20), quas cum Polybio Ciceronem enarrasse propter magnam sententiarum similitudinem arbitramur. ex Polybii autem harum rerum descriptione nihil superest nisi quod in Valesianis ex-

cerptis occurrit neque omnia Ciceronis sunt servata. itaque haec sola conferuntur:

Polyb. VI, 2, 12—16:

παραγενόμενος δ᾽ εἰς τὴν Ῥώμην καὶ τυχὼν τῆς πολιτείας εὐθέως ἡρμόσατο πρὸς τὴν τοῦ βασιλέως ἀρέσκειαν. ταχὺ δὲ καὶ διὰ τὴν χορηγίαν καὶ διὰ τὴν τῆς φύσεως ἐπιδεξιότητα, καὶ μάλιστα διὰ τὴν ἐκ παίδων ἀγωγήν, ἁρμόσας τῷ προεστῶτι μεγάλης ἀποδοχῆς ἔτυχε καὶ πίστεως παρ᾽ αὐτῷ. χρόνου δὲ προϊόντος εἰς τοῦτ᾽ ἦλθε παραδοχῆς ὥστε συνδιοικεῖν καὶ συγχειρίζειν τῷ Μαρκίῳ τὰ κατὰ τὴν βασιλείαν. ἐν δὲ τούτοις ἐπ᾽ ἀγαθῷ πᾶσι γενόμενος, καὶ συνεργῶν καὶ συγκατασκευάζων τοῖς δεομένοις ἀεί τι τῶν χρησίμων, ἅμα δὲ καὶ τῇ τοῦ βίου χορηγίᾳ μεγαλοψύχως εἰς τὸ δέον ἑκάστοτε καὶ σὺν καιρῷ χρώμενος, ἐν πολλοῖς μὲν ἀπετίθετο χάριν, ἐν πᾶσι δ᾽ εὔνοιαν ἐνειργάσατο καὶ φήμην ἐπὶ καλοκαγαθίᾳ, καὶ τῆς βασιλείας ἔτυχεν.

Cic. de rep. II, 20, 35:

* * * facile in civitatem receptus esset, propter humanitatem atque doctrinam Anco regi familiaris est factus, usque eo ut consiliorum omnium particeps et socius paene regni putaretur. erat in eo praeterea summa comitas, summa in omnis civis opis, auxilii, defensionis, largiendi etiam benignitas. itaque mortuo Marcio cunctis populi suffragiis rex est creatus L. Tarquinius.

Cum Polybianis verbis allatis Collmann (de Diodori Siculi fontibus p. 52) haud iniuria Diodori fragmentum[1] comparat, quod ad Fabii Pictoris Romanam historiam rettulit. nemo tamen putabit ea quae de rege illo ex Ciceronis politicis libris exscripsimus, ex hoc fonte fluxisse, nam prorsus non est, quod nostrum

---

1) l. VIII fragm. 31: *ὅτι Λεύκιος Ταρκύνιος ὁ τῶν Ῥωμαίων βασιλεὺς σπουδαίας ἔτυχεν ἀγωγῆς καὶ γενόμενος ζηλωτὴς παιδείας οὐ μετρίως δι᾽ ἀρετὴν ἐθαυμάζετο. Ἀνδρωθεὶς γὰρ συνεστάθη τῷ βασιλεῖ Ἄγκῳ Μαρκίῳ καὶ φίλος αὐτοῦ μέγιστος ἐγένετο καὶ πολλὰ τῶν κατὰ τὴν βασιλείαν συνδιῴκει τῷ βασιλεῖ. καὶ μεγαλόπλουτος ὢν πολλοῖς τῶν ἀπόρων ἐβοήθει χρήματα διδοὺς καὶ πᾶσι προσφιλῶς ὁμιλῶν ἄμεμπτος ἦν καὶ ἔνδοξος ἐπὶ τῇ σοφίᾳ.*

hac in re Polybianam historiam reliquisse quis sentiat. consentiunt autem mea quidem sententia inter se Polybius et Diodorus, quod Fabius Pictor et Polybii et Diodori, Polybius Ciceronis auctor fuit.

Jam de imitando Polybium nonnulla liceat verba facere: postquam uterque Tarquinium Priscum in civitatem receptum esse narravit, Polybius verba addidit *εὐθέως ἡρμόσατο πρὸς τὴν τοῦ βασιλέως ἀρέσκειαν*, quae Cicero neglexit. deinde Polybio auctore Tarquinius Priscus et propter opes (*διὰ τὴν χορηγίαν*) et propter naturalem dexteritatem (*διὰ τὴν τῆς φύσεως ἐπιδεξιότητα*) et in primis propter doctrinam, quam iuvenili aetate perceperat (*διὰ τὴν ἐκ παίδων ἀγωγήν*) se commendans principi (*ἁρμόσας τῷ προεστῶτι*) magnam auctoritatem atque fiduciam apud eum nactus est (*μεγάλης ἀποδοχῆς ἔτυχε καὶ πίστεως παρ᾽ αὐτῷ*), secundum Ciceronem ‚propter humanitatem atque doctrinam Anco regi familiaris est factus'. si cum Polybio pergimus Tarquinius procedente tempore tantam auctoritatem accepit, ut una cum Marcio imperium teneret atque civitate fungeretur (*χρόνου δὲ προϊόντος εἰς τοῦτ᾽ ἦλθε παραδοχῆς ὥστε συνδιοικεῖν καὶ συγχειρίζειν τῷ Μαρκίῳ τὰ κατὰ τὴν βασιλείαν*), quam sententiam Cicero arte cum prioribus coniungit sic: ‚usque eo (sc. familiariter factus est) ut consiliorum omnium particeps et socius paene regni putaretur'. omisit igitur verba *χρόνου δὲ προϊόντος* et quae sequuntur *εἰς τοῦτ᾽ ἦλθε παραδοχῆς ὥστε* breviter expressit verbis ‚usque eo ut', voces autem *συνδιοικεῖν* et *συγχειρίζειν* satis ingeniose vertit participem esse et socium esse. multo minus in ceteris Tullius Polybianorum verborum rationem habuit, ubi quaeritur, quo modo in cives Tarquinius se gesserit. sic enim pergit: ‚erat in eo praeterea summa comitas (Polybius: *ἐν δὲ τούτοις ἐπ᾽ ἀγαθῷ πᾶσι γενόμενος*), summa in omnis civis opis (*συνεργῶν*), auxilii, defensionis (*συγκατασκευάζων τοῖς δεομένοις ἀεί τι τῶν χρησίμων*), largiendi etiam benignitas' (*τῇ τοῦ βίου χορηγίᾳ μεγαλοψύχως χρώμενος*). quae porro apud Polybium scripta sunt *ἐν πολλοῖς μὲν ἀπετίθετο χάριν, ἐν πᾶσι δ᾽ εὔνοιαν ἐνειργάσατο καὶ φήμην ἐπὶ καλοκαγαθίᾳ* Cicero prorsus neglexit. hic in sententia sola, quam postremam supra comparavimus, verbis Polybio abundantior est. nam pro *τῆς βασιλείας ἔτυχεν* suo Marte statuit: ‚mortuo Marcio cunctis populi suffragiis rex est creatus L. Tarquinius'.

Quae deinde (c. 20, 36) de Tarquinii Prisci bello cum Aequis gesto narrantur, certo quodam iure Polybio attribuuntur, cum apud ceteros rerum Romanarum scriptores nihil hac de re legamus. Quibus expositis de Servio Tullio rege eiusque centuriis classibus institutis sermo fit (cc. 21. 22), quae partim corrupta ad nos venerunt, partim perverse a Cicerone descripta videntur. attamen vix dubito, quin Polybianos libros ante oculos habuerit ac neglegenter quidem eos imitatus sit, cum sequenti capite in Polybii sententiam concesserit. verba autem sunt de Carthaginis die natali: * * *, quinque et] sexaginta annis antiquior, quod erat XXXVIIII. ante primam Olympiadem condita'. concesso enim eo Maium locum allatum recte restituisse[1], si de annis 815 (= 39 + 776) detraximus 65, in annum 750 pervenimus, quo secundum Polybianam rationem Roma condita est. contra Dionysius (I, 74) Carthaginem XXXVIII. annis ante primam Olympiadem conditam tradit. Deinde cum Polybio auctore addidisse videtur illud permixtum ex tribus genus Romanis cum Lacedaemoniis et Carthaginiensibus commune fuisse: ,ista aequabilitas atque hoc triplex rerum publicarum genus videtur mihi commune nobis cum illis populis fuisse' et paulo infra: ,haec enim, quae adhuc exposui, ita mixta fuerunt et in hac civitate et in Lacedaemoniorum et in Karthaginiensium, ut temperata nullo fuerint modo'. nam haec fuit Polybii sententia l. VI, 51, 1. 2: *Τὸ δὲ Καρχηδονίων πολίτευμα τὸ μὲν ἀνέκαθέν μοι δοκεῖ καλῶς κατά γε τὰς ὁλοσχερεῖς διαφορὰς συνεστάσθαι. καὶ γὰρ βασιλεῖς ἦσαν παρ᾽ αὐτοῖς, καὶ τὸ γερόντιον εἶχε τὴν ἀριστοκρατικὴν ἐξουσίαν, καὶ τὸ πλῆθος ἦν κύριον τῶν καθηκόντων αὐτῷ· καθόλου δὲ τὴν τῶν ὅλων ἁρμογὴν εἶχε παραπλησίαν τῇ Ῥωμαίων καὶ Λακεδαιμονίων.*

Denique duobus locis quibus de consulibus agitur, Polybiana probare possumus. et primum quidem c. 32: ,uti consules potestatem haberent tempore dum taxat annuam, genere ipso ac iure regiam'. nam regia apud Polybium consulum potestas vocatur l. VI, 11, 12: *ὅτε μὲν γὰρ εἰς τὴν τῶν ὑπάτων*

---

1) et rectissime quidem restitutum eum esse Vellei verbis probatur, quae sunt l. I, 6: ,ante annos quinque et sexaginta quam urbs Romana conderetur, ab Elissa Tyria, quam quidem Dido autumant, Carthago conditur'.

ἀτενίσαιμεν ἐξουσίαν, τελείως μοναρχικὸν ἐφαίνετ᾽ εἶναι καὶ βασιλικόν. et rem publicam Romanam velut ab unius imperio pendere et quasi regiam esse proximo capite (§ 9) docet: *ὥστ᾽ εἰκότως εἰπεῖν ἄν, ὅτε τις εἰς ταύτην ἀποβλέψειε τὴν μερίδα, διότι μοναρχικὸν ἁπλῶς καὶ βασιλικόν ἐστι τὸ πολίτευμα.* deinde verba Ciceronis (c. 33): ‚contra consulare imperium tribuni plebis'[1] consentiunt cum Polybii l. VI, 12, 2: *οἵ τε γὰρ ἄρχοντες οἱ λοιποὶ πάντες ὑποτάττονται καὶ πειθαρχοῦσι τούτοις* (sc. *ὑπάτοις*), *πλὴν τῶν δημάρχων.*

Restat, ut quaeramus, quem auctorem Tullius cc. 3—6 secutus sit, ubi de loco quo optime urbs sit condenda atque de Romae urbis situ agitur. postquam enim, ut ad singula progrediamur, Cicero Romam loco maxime idoneo conditam dixit, quod mari non adiaceat, maritimis autem commeatibus opportuna sit, de damnis atque commodis urbium maritimarum disputatur. et ante omnia, ut ait, maritimis timendum est, ne repentino hostis egressu opprimantur, quod oppido mediterraneo, cui quasi strepitus quidam et clamor ipse hostem appropinquantem indicant, vix accidere possit (c. 3). quae ex eodem fonte manasse videntur atque quae c. 4 de incommodis urbium maritimarum noster pergit disserere: ‚est autem maritimis urbibus etiam quaedam corruptela ac demutatio morum: admiscentur enim novis sermonibus ac disciplinis et inportantur non merces solum adventiciae, sed etiam mores, ut nihil possit in patriis institutis manere integrum. iam qui incolunt eas urbis, non haerent in suis sedibus, sed volucri semper spe et cogitatione rapiuntur a domo longius, atque etiam cum manent corpore, animo tamen exsulant et vagantur. nec vero ulla res magis labefactam diu et Karthaginem et Corinthum pervertit aliquando quam hic error ac dissipatio civium, quod mercandi cupiditate et navigandi et agrorum et armorum cultum reliquerant. multa etiam ad luxuriam invitamenta perniciosa civitatibus subpeditantur mari, quae vel capiuntur vel inportantur. atque habet iam amoenitas ipsa vel sumptuosas vel desidiosas inlecebras multas cupiditatum. et quod de Corintho dixi, id haud scio an liceat de cuncta Graecia verissime dicere;

---

1) cf. legg. III, 7, 16: ‚ut ei reliqui magistratus omnes pareant excepto tribuno'.

nam et ipsa Peloponnesus fere tota in mari est, nec praeter Phliuntios ulli sunt, quorum agri non contingant mare, et extra Peloponnesum Aenianes et Doris et Dolopes soli absunt a mari. quid dicam insulas Graeciae? quae fluctibus cinctae natant paene ipsae simul cum civitatum institutis et moribus. atque haec quidem, ut supra dixi, veteris sunt Graeciae; coloniarum vero quae est deducta a Graiis in Asiam, Thracam, Italiam, Siciliam, Africam praeter unam Magnesiam, quam unda non adluat? ita barbarorum agris quasi attexta quaedam videtur ora esse Graeciae. nam e barbaris quidem ipsis nulli erant antea maritumi praeter Etruscos et Poenos, alteri mercandi causa, latrocinandi alteri; quae causa perspicua est malorum commutationumque Graeciae propter ea vitia maritimarum urbium, quae ante paulo perbreviter attigi'. haec autem Dicaearcho Cicero debuit ut profitetur in ep. ad Att. VI, 2, 3: ,Peloponnesias civitates omnis maritimas esse, hominis non nequam, sed etiam tuo iudicio probati, Dicaearchi tabulis credidi: is multis nominibus in Trophoniana Chaeronis narratione Graecos in eo reprehendit, quod mare tantum secuti sunt, nec ullum in Peloponneso excipit. cum mihi auctor placeret — etenim erat *ἱστορικώτατος* et vixerat in Peloponneso —, admirabar tamen et vix adcredens communicavi cum Dionysio; atque is primo est commotus, deinde, quod de isto Dicaearcho non minus bene existumabat quam tu te C. Vestorio, ego de M. Cluvio, non dubitabat quin ei crederemus: Arcadiae censebat esse Lepreon quoddam maritumum; Tenea autem et Aliphera et Tritia *νεόκιστα* ei videbantur, idque *τῷ τῶν νεῶν καταλόγῳ* confirmabat, ubi mentio non fit istorum. itaque istum ego locum totidem verbis a Dicaearcho transtuli'[1]. neque utilitatem, quae

1) de incommodis urbium mari adiacentium opinio apud veteres usitata fuit; conferatur Isocrates, qui in oratione quam *περὶ εἰρήνης* scripsit, Atheniensium civitatem meliore loco fore contendit, si desinerent imperium maritimum affectare § 64: *Ἐγὼ γὰρ ἡγοῦμαι καὶ τὴν πόλιν ἡμᾶς ἄμεινον οἰκήσειν καὶ βελτίους αὐτοὺς ἔσεσθαι καὶ πρὸς ἁπάσας τὰς πράξεις ἐπιδώσειν, ἢν παυσώμεθα τῆς ἀρχῆς τῆς κατὰ θάλατταν ἐπιθυμοῦντες. αὕτη γάρ ἐστιν ἡ καὶ νῦν εἰς ταραχὴν ἡμᾶς καθιστᾶσα καὶ τὴν δημοκρατίαν ἐκείνην καταλύσασα, μεθ᾽ ἧς οἱ πρόγονοι ζῶντες εὐδαιμονέστατοι τῶν Ἑλλήνων ἦσαν, καὶ σχεδὸν ἁπάντων αἰτία τῶν κακῶν ὧν αὐτοί τ᾽ ἔχομεν καὶ τοῖς ἄλλοις παρέχομεν.* Cum Dicaearcho autem in libris de republica Ciceronem hac de re disputasse in aperto est.

urbi maritimae rebus exportatis et importatis afferatur, Dicaearchum loco illo silentio praeteriisse pro certo habeo neque dubito, quin addiderit ille sic condendam esse urbem, ut maris aeque ac terrae commodis fruatur, quod Cicero in fine capitis quarti nos monet: ‚sed tamen in his vitiis inest illa magna commoditas, et quod ubique gentium est ut ad eam urbem, quam incolas, possit adnare, et rursus ut id, quod agri efferant sui, quascumque velint in terras portare possint ac mittere‘. comparationem aliquam habent Aristotelis verba Dicaearchi magistri, quem Ciceronis auctorem secundarium puto. is enim non modo ita urbem condendam censet, ut ab incursionibus hostium tutata sit conceditque mutua hominum peregrinorum et externorum consuetudine patrios mores commutari luxuriamque induci, sed etiam potestatem exportandi res et importandi maximo usui urbi esse contendit ideoque condendae urbi locum eligendum esse monet et terrae et maris commodis opportunum (Polit. IV (VII), 2): *τὸ δ' εἶδος τῆς χώρας οὐ χαλεπὸν εἰπεῖν· δεῖ δ' ἔνια πείθεσθαι καὶ τοῖς περὶ τὴν στρατηγίαν ἐμπείροις, ὅτι χρὴ μὲν τοῖς πολεμίοις εἶναι δυσέμβολον αὐτοῖς δ' εὐέξοδον. — τῆς δὲ πόλεως τὴν θέσιν εἰ χρὴ ποιεῖν κατ' εὐχήν, πρός τε τὴν θάλατταν προσήκει κεῖσθαι καλῶς πρός τε τὴν χώραν. — περὶ δὲ τῆς πρὸς τὴν θάλατταν κοινωνίας, πότερον ὠφέλιμος ταῖς εὐνομουμέναις πόλεσιν ἢ βλαβερά, πολλοὶ τυγχάνουσιν ἀμφισβητοῦντες· τό τε γὰρ ἐπιξενοῦσθαί τινας ἐν ἄλλοις τεθραμμένους νόμοις ἀσύμφορόν φασιν εἶναι πρὸς τὴν εὐνομίαν, καὶ τὴν πολυανθρωπίαν· γίνεσθαι μὲν γὰρ ἐκ τοῦ χρῆσθαι τῇ θαλάσσῃ διαπέμποντας καὶ δεχομένους ἐμπόρων πλῆθος, ὑπεναντίαν δ' εἶναι πρὸς τὸ πολιτεύεσθαι καλῶς. ὅτι μὲν οὖν, εἰ ταῦτα μὴ συμβαίνει, βέλτιον καὶ πρὸς ἀσφάλειαν καὶ πρὸς εὐπορίαν τῶν ἀναγκαίων μετέχειν τὴν πόλιν καὶ τὴν χώραν τῆς θαλάττης, οὐκ ἄδηλον. καὶ γὰρ πρὸς τὸ ῥᾷον φέρειν τοὺς πολεμίους εὐβοηθήτους εἶναι δεῖ κατ' ἀμφότερα τοὺς σωθησομένους, καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν· καὶ πρὸς τὸ βλάψαι τοὺς ἐπιτιθεμένους, εἰ μὴ κατ' ἄμφω δυνατόν, ἀλλὰ κατὰ θάτερον ὑπάρξει μᾶλλον ἀμφοτέρων μετέχουσιν. ὅσα τ' ἂν μὴ τυγχάνῃ παρ' αὐτοῖς ὄντα, δέξασθαι ταῦτα καὶ τὰ πλεονάζοντα τῶν γινομένων ἐκπέμψασθαι τῶν ἀναγκαίων ἐστίν. αὐτῇ γὰρ ἐμπορικήν, ἀλλ' οὐ τοῖς ἄλλοις δεῖ εἶναι τὴν πόλιν.* Postquam Cicero ostendit Romam civibus sine morum institutorumque incommodo facul-

tatem emendi et vendendi praebere, hanc urbem laudat quod et natura et manu munita fontibusque abundans et salubris sit (c. 6). quae res in condenda urbe Aristotelis (Polit. IV (VII), 11) quoque sententia non sunt neglegendae.

Jam de Varrone breviter agendum nobis est et quaerendum adhibueritne Tullius in primis duobus de re publica libris eum auctorem necne. ex verbis, quibus ab Attico (IV, 14, 1) Varronis libros petiit, nihil certi concludi potest, quod nescimus qui illi libri fuerint. huc accedit quod Varronis libri eas res quas in primis duobus libris Tullius memoriae prodidit, continentes anno 700 a. u. nondum perfecti erant[1] et si quis contendit tum libros quosdam singulares Tullio praesto fuisse, tamen concedendum est omnia quae ex illis Tullianis libris ad Varronem referantur, eodem iure Polybianae historiae tribui posse; quin etiam, si quid video, Tullius propterea antiquitates Romanas brevius tractavit, quod plerumque Polybium secutus est, qui satis presse atque ita ut ad politiam spectarent, eas historiae suae inseruit. nihil igitur meo quidem iudicio Sanio[2] dicit, qui plurimas res ad Varronem rettulit, quod Pomponius, quem in libro de origine iuris edito Varronis de iure civili libros XV expilasse ait, saepius similiter easdem res attigit. causae autem quas ad probandam suam sententiam protulit satis infirmae sunt neque uno exemplo Tullium et Pomponium ex eodem fonte hausisse arbitrari cogimur. e propositis exemplis nonnulla persequi liceat, quibus opinionem suam Sanio firmat: ex decemvirorum temporibus illam de Virginia traditam narrationem p. 90—93 ex utroque auctore in comparationem adducit Varronique attribuit. neminem autem fugit Dionysium et Livium similiter hac de re egisse, quod eo facilius fieri potuit, quod haec narratio, ut Tullius ipse addit, ‚celebrata et nota est monumentis plurimis litterarum'. itaque nihil obstat, quominus ex memoria Tullium haec rettulisse putemus. Varronem autem noster vix exscripsit uti probatur iis quae apud utrumque sequuntur. Pomponius enim § 24 pergit: ‚ac protinus recens a caede madenteque adhuc filiae cruore ad

1) antiquitatum libros vix ante annum 707 a. u. et de vita populi Romani libros fortasse anno 711 in lucem Varro edidit.

2) in libro qui inscribitur Varroniana in den Schriften römischer Juristen, Lipsiae 1867.

commilitones confugit, qui universi de Algido, ubi tunc belli gerendi causa legiones erant, relictis ducibus pristinis, signa in Aventinum transtulerunt, omnisque plebs urbana mox eodem se contulit'. secundum Ciceronem exercitus Algido relicto in sacrum montem, tum demum in Aventinum profectus est. qui auctorem Ciceronis vult statuere multo probabilius cum Polybio nostrum id fecisse putabit, quem, ut supra iam vidimus, in omnibus fere quae ad Romanam historiam spectant secutus est.

Neque l. II, cc. 13. 17. 18. 20. 21 Varroniana esse concesserim, ubi legis curiatae mentio fit, quam reges a populo creati ad patres de suo imperio ferre solebant. sunt enim in his capitibus Polybiana. quid igitur est, quin haec quoque ad eundem auctorem referamus?

Deinde Sanio p. 64 etymologicam significationem vocis dictatoris ex Varronis libris fluxisse studet probare. si Ciceronem audis (I, 40, 63) ‚dictator quidem ab eo appellatur, quia dicitur', Varro autem qui de ling. lat. V, 82 scribit: ‚dictator quod a consule dicebatur, quoi dicto audientes omnes sunt' duplici modo hoc verbum interpretatus est. huc accedit quod Tullius, cum hoc scriberet, commemoratos Varronis libros fere anno 711 a. u. in lucem editos ante oculos habere non potuit maximeque dubium est legeritne noster in singularibus libris illam interpretationem. nec magis Sanionis sententiae id favit, quod Tullius et Varro in eodem sententiarum tenore dictatorem etiam magistrum populi appellatum esse adiunxerunt. Cicero enim Scipionem augurales libros fontem inducit afferentem, quod, priusquam ipse in augurum collegium cooptatus est, vix fieri potuit, nisi in fonte suo id adscriptum invenit. Varro autem, quoad videmus, id non addidit.

Praeterea secundum Sanionis (p. 65 et 67) sententiam Cicero cum Varrone dictatoris et consulis potestatem simillimam regis dixit, quod Pomponius quoque sic scribit. at eodem iure Polybium, ut supra factum est, auctorem Ciceronis statuere possumus.

Tum Sanio p. 74 ipse profitetur Pomponium de primis tribunis plebis agentem primam et secundam constitutionem tribunorum plebis confudisse. Cicero nihil nisi duos tribunos in prima plebis seditione creatos esse narrat.

Denique placet afferre Tullii de Tarquiniis expulsis verba prolata (II, 25, 46): ‚L. Brutus depulit a civibus suis iniustum illud durae servitutis iugum .... quo auctore et principe concitata civitas ...... exsulem et regem ipsum et liberos eius et gentem Tarquiniorum esse iussit'. quae Sanio p. 55 Varroni tribuenda censet comparatis Nonii verbis quae v. reditus ex Varronis rerum humanarum libro XX servavit: ‚omnis Tarquinios eicerent, ne quam reditionis per gentilitatem spem haberent'. talia autem nisi ex memoria Tullius tradidit, apud quemlibet auctorem invenire poterat, qui antiquiorem rei publicae statum perscripsit. Itaque in primis duobus de re publica libris Tullium petitos ab Attico libros Varronis in usum suum adhibuisse nego.

Vita.

Natus sum Robert Julius Schubert a. h. s. XLIX die XV ante Cal. Nov. Isebergae Saxonum patre Friderico Augusto matre Christiana e gente Gessneriana, quibus adhuc vivis ex animo laetor. fidei addictus sum evangelicae. primis litterarum elementis ludo publico imbutus ab a. aetatis tertio decimo in lyceum patriae urbis receptus per quinquennium disciplina et institutione Ferd. Ludovici rectoris usus sum. inde a. LXVIII ad gymnasium Fridericianum transmigravi, quod tum Altenburgi auspiciis H. E. Fossii florebat. maturitatis testimonio instructus Paschalibus a. LXXII academiam Lipsiensem adii philologiae operam daturus, ubi per quattuor annos scholis interfui virorum illustrissimorum Brockhausii, Curtii, Drobischii, Ecksteinii, Hildebrandi, Langii, Ritschelii, Struempellii, Voigtii, Zarnckii. exercitationes frequentavi societatum Curtianae et Langianae, fui per duo semestria seminarii philol. regii socius, per unum seminarii paedag. regii: qui studiorum cursus per stipendia facienda iterruptus est. a. LXXV commentationem de Ciceronis studiis antiquariis Lipsiae conscripsi regio praemio ornatam. examine pro facultate docendi superato in schola latina Deidesheimensi praeceptor factus sum, ubi etiamnunc versor. Magistris autem omnibus, qui et doctrina et consilio de studiis meis meriti sunt, gratias ago quam possum maximas.